3 1761 07463800 8

PR
3403
L3G6
1823

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/robinsoncrusou00defo

23

BEQUEST OF
REV. CANON SCADDING, D. D.
TORONTO, 1901.

ROBINSON CRUSOËUS.

LATINE SCRIPSIT

F. J. GOFFAUX,

HUMANIORUM LITTERARUM PROFESSOR IN LYCŒO IMPERIALI.

Pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Hor. Sat. 1.

EDITIO NOVA,

CUI ACCEDUNT ANNOTATIONES.

33274
1902

LONDINI:
APUD GEO. WILSON,
BIBLIOP. REG. SOC. ANTIQ.

MDCCCXXIII.

PR
3403
L3G6
1823

Printed by R. Gilbert, St. John's-square, London.

THE

AUTHOR'S PREFACE.

It has long afforded just ground of complaint that the first steps in Roman literature are in no common degree wearisome and dull. This arises in a great measure from the difficulty or total absence of amusement, in the authors first put into the hands of youth; for it must be confessed, that boys are rarely, if ever, found to be attracted by the story of their author. It was thought that a work in the Latin language, which, while it demanded attention and exactness, should at the same time, attract and insensibly excite by its matter, would not be unacceptable in the present day. No work seemed more adapted for this purpose than Defoe's History of Robinson Crusoe. This, though too long in its original form to follow literally,

the author has translated, leaving out chiefly the digressions, which in truth form no part of the story, and retaining the most interesting facts, This little history was the more readily selected, as the sentiments throughout are pious, and the whole interspersed with maxims and sentences conducing to sobriety and virtue.

These are the motives which have led to the publication of this trifle, and for which no other excuse can be assigned, than a desire to promote the welfare of youth. It has been the author's wish to adapt his style to the subject, and as far as could be done, inculcate the rules of grammar in language at once simple and pleasing. How far he has accomplished his purpose must be left to the judgment of those who may favour his work with a perusal ; at the same time he wishes them to bear in mind the object for which it was undertaken.

THE Editor of this little work trusts no apology is necessary for its republication in this country. The circumstance of its hav-

ing passed through four editions in the space of a few months on the Continent, sufficiently attests the avidity with which it has been purchased by our neighbours, and he ventures to hope it may not meet with an unfavourable reception here in its present form. His first idea was, that it was a book well adapted for beginners; to which end the more difficult words and phrases have been explained in English: but his principal aim was to afford a book of entertainment and diversion for leisure hours, to those indeed accustomed in their class to read more difficult authors. For since it cannot be denied that in the modern languages those authors most attract attention whose sentiments accord the nearest with the youthful imagination, he conceived the same results would follow, if the attempt should only be made, with the ancient languages. For this purpose the present volume, written in a style at once pure and simple, appears in every point of view well calculated. The explanations he has given will, to this class of readers also, not be devoid of utility, since little pleasure can be derived from the perusal of any work where the thread of the story

is perpetually broken by a reference to the dictionary. He has been most anxious indeed to remove every obstacle which might in the least degree impede the progress, or damp the pleasure of a youth entering on such a course of reading. He cannot do better than conclude in the words of a good author on the same subject. "I am sensible that to read Latin is an amusement not common among students; the reason is easily assigned, they seldom can read it without more difficulty than is compatible with mere amusement. But let every means be employed to induce the boy to devote some part of his leisure to this private reading. If he has natural abilities, *he will derive more benefit from it than from any formal instruction.*"—"A very easy and amusing book must be chosen for this purpose. Difficulties on first entering on voluntary study, will disgust the student and stop his progress. Though he read the higher and more difficult classics in the school, yet in his private hours, I advise him to descend to the easiest, provided the diction be pure and the style perspicuous."

ADVERTISEMENT

TO THE SECOND ENGLISH EDITION.

THE Editor cannot refrain from expressing his satisfaction at the very liberal encouragement this little volume has met with; since he is led to hope the plan for which he intended it has been found useful. The work has been carefully revised and corrected throughout, and a few inadvertencies and some errors, which had crept into the former edition, have been expunged. In its now more perfect state he once more confidently recommends it to the public.

January, 1823.

ROBINSON CRUSOËUS.

CAPUT PRIMUM.

Robinsonis ortus, indoles, educatio.—Cupido peregrinandi.—Discessus à parentibus.—Profectio Londinum. — *Infausta initia.* — *Tempestas.— Navis obruta fluctibus.—Robinson aliâ exceptus advenit* Londinum, *unde solvit ad* Guineam.

Erat Eboraci, in urbe apud Anglos celeberrimâ, vir quidam, cui nomen *Robinson.* Suscepit ex uxore tres filios.

Maximus natu, armorum studiosior quàm librorum, tractare a teneris gladios, ordine militari pueros instruere, aures vicinorum repetito tympani sonitu obtundere vixque adolescens factus, e fictis certaminibus ad vera procurrens, militiæ nomen suum dedit.

Tractare] For *tractabat,* and so the two following infinitives. A mode common with Sallust.

Cùm ille didicisset per aliquot menses stare et sequi, vertere corpus ad sinistram dexteramve, exarsit bellum Turcas inter et Anglos, in quo cùm multa egregiè fecisset, cecidit adverso confossus vulnere.

Alter qui litteras in gymnasio discebat ut causas in foro ageret, sæpè principatum inter æquales insolitis concertationibus obtinebat; nec parva erat parentum magistrorumque de juvene expectatio; sed cùm fortè in feriis septembralibus corpore adhuc calido aquam frigidam imprudentiùs bibisset, in morbum incidit et intra paucos dies exstinctus est.

Jam nullus supererat præter minimum natu, qui *Crusoe* appellabatur. Itaque suam in eo spem omnem ambo parentes collocaverunt, quippe qui ipsis esset unicus. Nihil eo carius in terris habebant; sed amor eorum non erat rectæ rationi consentaneus.

Cùm enim debuissent certam ei vivendi disciplinam tradere, multaque utilia simul et jucunda

---

Adverso vulnere] By a wound in front.

Alter] The second son.

Principatum] The pre-eminence.

In feriis septembralibus] During the Michaelmas holydays.

Itaque, &c.] *Ordo*, Itaque ambo parentes collocaverunt omnem suam spem in eo.

Quippe qui] Seeing that he.

eum docere quæ ipsum olim bonum et beatum effecissent, omnia filiolo indulserunt; qui cùm ludere quàm studere mallet, totam illam ætatem, quæ bonis artibus vacare poterat, in otio et nugis consumpsit.

Pater optabat ut ille mercaturæ se addiceret. Quâquidem proximè ab agriculturâ nihil melius, nihil fructuosius, nihil homine libero dignius. Hoc verò minimè filio placuit; se malle ait orbem terrarum peragrare, ut multas res novas audire, multas videre posset.

Jam annum ætatis decimum septimum attigerat, plurimùm verò temporis triverat in otio. Quotidiè autem patrem urgebat, ut ab ipso peregrinandi licentiam impetraret, quam ille nolebat concedere. Quâdam die, cùm more sua præter portum cursitaret, incidit in unum ex æqualibus, navarchi cujusdam filium, qui in eo erat ut cum patre *Londinum* navigaret.

Interrogavit eum sodalis an adjungere se socium itineris vellet. Libenter, ait *Crusoëus*, vereor autem ut parentes id mihi concedant! Hui! res-

---

Olim] In time to come.

Quâquidem] Than which indeed. *Proximè ab*] Next after.

Triverat] Had frittered away. *Navarchus*] A captain.

Sodalis] *Id est*, The captain's son.

Vereor ut *parentes concedant*] I fear my parents will

pondet alter, sine veniâ proficiscendum est. Post tres hebdomades reduces erimus. Parentibus verò nuntiandum curabis quònam terrarum migraveris. Careo autem pecuniâ, ait *Crusoëus*. Nihil refert, alter excipit, siquidem hoc tibi constabit gratis.

Robinson noster re paululùm deliberatâ, illico manum cum altero jungens, Euge, o bone, exclamat! ibo tecum, sed confestim navem conscendamus. Tum mandat cuidam ut horis aliquot elapsis patrem conveniat moneatque, filium ad Londinum invisendum profectum, mox rediturum esse. Quibus peractis, ambo sodales navem conscendunt.

Nec multò post nautæ solvunt anchoras, velaque vento intendunt. Navis agi incipit, navarchusque tribus explosis tormentis bellicis, urbi valedicit. Stabat *Robinson* in stegâ et vix præconceptam ex optato diù itinere lætitiam capiebat.

Cœlum serenum erat, ventusque adeò secundus

---

not give leave. And observe, *Vereor* ne *parentes irascantur*, I am afraid my parents *will be* angry.

Nuntiandum curabis] You will take care to tell.

Constabit gratis] Shall cost you nothing.

Conveniat] *Alloquatur*, Should accost.

Agi] To be propelled onwards by the wind.

Tormentis bellicis] Cannon. *In stega*] On deck.

Capere lætitiam] To contain one's joy.

ut brevi Eboracum è conspectu abeuntium se subduxerit. Posterâ die, jam eò devenerant ubi Ousa in mare effluit, et nunc altum tenent. Quantâ verò *Robinson* admiratione stupuit, cum maris immensitatem intuens, suprà se nihil præter cœlum, atque nihil ante, pone, circa se nisi aquam conspexit!

Fuit per biduum aer serenus, ventusque bellè flavit navigantibus. Tertio autem die cœlum nubibus tegi, ventusque vehementior esse cœpit. Ac primò fulgura emicant, quasi totum flammis cœlum arderet. Deindè ingruunt tenebræ veluti in altissimâ nocte; tonitrua cum ingenti fragore resonare, imber de cœlo ruere torrenti similis, mare intumescens fluctus ciere. Navis modò ad nubes tolli, modò præceps ferri in profundum. Quantus funium strepitus! quantus in navi tumultus! quod nactus erat quisque complectebatur ne dejiceretur ipse.

Robinson, insuetus maris adolescens, cùm jacta-

Altum tenent] They get into the main.

Stupuit] Was struck with wonder and admiration.

Ingruunt] Comes on suddenly.

Resonare] For *resonant*, or *cœpit* understood, the same with the three or four next infinitives.

Quod, &c.] Every one clung to what he chanced to get hold of, for fear of being washed off.

tionem maris ferre non posset, nauseâ correptus est, et tam malè se habuit, ut expiranti similis videretur.

Heu! parentes optimi heu! iterùm iterùmque exclamavit, nunquàm vos ego revisam.

Heu! exclamant nautæ pallidi desperantesque, periimus! abrepti sunt mali, navis aquâ undequàque completur. His auditis *Robinson* qui in cubili nautico sedebat, membris fluentibus, retrò collapsus est. Cœteri ad antlias accurrere, ut navem, si fieri possit, supra aquam retineant. Navarchus interim tormenta iterùm iterùmque explosit ut navibus, si quæ fortè non longè abessent, significaret se magno in discrimine versari. *Robinson* qui hujus fragoris causam ignorabat, ratus omnia periisse, denuò exanimatus est.

Et jam pro se quisque aquam exhaurire, sed in infimo navis tabulato crescebat aquæ altitudo.

Nihil præter mortem erat in expectatione. Projiciuntur quidem ad navem sublevandam tormenta,

Mali] The masts.

In cubili nautico] On his hammock.

Fluentibus] *Languentibus, cadentibus.* His limbs unable to support him.

Antlias] The pumps. *Se versari*] That they were.

Exhaurire] Began to lade out.

In infimo navis tabulato] In the hold.

Ad navem sublevandam] To lighten the vessel.

dolia, mercium sarcinæ; sed nihil hæc omnia proficiunt.

Intereà navis alia, audito sonitu tormentorum quæ ad significandum discrimen explosa fuerant, scapham emiserat ad servandos saltem navigantes; sed æstus fluctuum obstabat quominùs accederet. Attamen propiùs ita demum subiit, ut iis qui in navi essent funis projiceretur. Cujus ope scapha tandem attracta est, et in eam quisque desiliit ut saluti consuleret. *Robinson* qui jacebat defuncto similis, a quibusdam nautis quos adolescentuli miserebat, in eamdem conjectus est. Vix paululùm a navi recesserant, cùm illa ante oculos fluctibus obruta est: et nunc feliciùs contigit ut tempestas paulatim sedaretur; aliter cymba tot hominibus onerata ipsa quòque fluctibus absorpta fuisset. Tandem post multa pericula, pervenit ad navem, in quam omnes excepti sunt.

Dolia] Casks. *Mercium sarcinæ*] Merchandize.

Ad servandos, &c.] To try and save the lives at least of those on board.

Obstabat quominùs accederet] Hindered it from approaching.

Propiùs ita subiit] It got so much nearer.

Ut iis] Ut ab iis.

Ut saluti consuleret] That he might save himself.

Quos adolescentuli miserebat] Who pitied the youth.

Illa] The ship.

Pervenit ad navem] The boat got to the ship.

Navis illa *Londinum* tendebat. Quatuor elapsis diebus ad ostium *Thamesis* pervenit, quintâ verò in portu jecit anchoras. Mox quisque in terram descendit, lætus quòd è periculo evasisset. Vix *Robinson* pedem è nave extulerat, cùm eum incessit cupido visendæ immensæ urbis *Londini*. Quidquid erat in oculis spectantem ita detinuit, ut præteriti immemor de futuro quidem minimè curaret. Tandem suus eum stomachus admonuit *Londini* haud secùs ac alibi terrarum cibis opus esse. Itaque adiit præfectum ejus navis quæ ipsum advexerat, rogavitque ut liceret ipsius mensæ assidere. Ille verò lubenter juvenem excepit. Atque inter prandendum ab hospite quærit quo consilio et quid facturus hùc venerit? Tum *Robinson* ingenuè professus est, se animi recreandi causâ hoc iter sucepisse, atque insciis parentibus; jam autem se esse omninò inopem. Insciis parentibus tuis? clamat nauta exterritus: utinàm hoc ego priùs

---

Vix pedem è nave extulerat] *Effero, extuli,* to extricate, to get clear of. Had scarcely left the ship.

Quidquid, &c.] He was so detained by looking at every thing as it presented itself to his view.

Haud secùs ac alibi terrarum] The same as in other places.

Inter prandendum] At dinner.

Ab hospite quærit] The captain asks Robinson.

Quid facturus] For what purpose.

Insciis parentibus] His parents were ignorant of it.

rescivissem! nunquam sanè a me impetrasses ut ego te in navem meam admitterem. *Robinson* demissis oculis, vultuque rubore suffuso siluit: nec desiit bonus nauta monere adolescentem quàm graviter peccavisset, addiditque illum nunquam aliquâ ex parte beatum esse posse, donec a suis veniam oravisset. *Robinson* commotus multùm flevit; sed quid agam nunc? rogat ille cum singultu.

Quid ages? respondet alter primam quamlibet navem quæ hinc Eboracum tendit, sine morâ conscendes: tunc reversus ad tuos peccati veniam piè rogabis, pollicitus te nunquam posteà in simili culpâ fore. Sed planè careo pecuniâ, ait *Robinson*. En quatuor aureos excepit nauta, quas ego tibi commodabo, licèt ipse parvo quod mihi superest ægrè caream. His tu adjutus ad portum te confer; sit Deus tibi magis propitius redeunti quàm nobis fuit navigantibus. His dictis, manum benevolè junxit, atque faustum iter ipsi precatus est. Abiit *Robinson*.

* * * * * * * * * * * *

Nunquam a me impetrasses] You should never have prevailed on me.

Nec desiit] Nor did he fail.

A suis] *Parentibus*, understood.

Reversus ad tuos] Being returned to your friends.

Licèt ipse] Though I myself.

Ægrè parvo caream, &c.] I can with difficulty spare the little that I have left.

Dùm ille portum peteret, varia secum in animo volvebat. Quomodò mei reducem me excipient? Castigabunt sanè propter tale delictum. Sodales verò, et tam multi alii me irridebunt quòd tam citò redierim. Sic diù dubitans quidnam consilii caperet, ad portum pergit; sed ibi audiit, summâ quidem cum voluptate, nullam adesse navem quæ Eboracum tenderet. Qui autem hâc de re eum certiorem fecerat, unus è præfectis earum navium erat quæ ad *Guineam* proficiscuntur.

Cùm *Robinson* inter confabulandum dixisset se non dolere quòd nulla sibi Eboracum redeundi adesset opportunitas, quia mirâ flagrabat cupiditate peregrinandi, præfectus navis ei auctor fuit itineris ad *Guineam* faciendi. Quo audito primùm *Robinson* obstupuit. Sed cùm præfectus itineris ei declaravisset, iter hoc fore jucundissimum, seque ut haberet ipse quîcum versaretur, gratìs eum excepturum, ac prætereà rem eam esse undè quæstum ille non mediocrem faceret, tum verò tanta eum invasit cupiditas proficiscendi, ut subitò e memo-

Mei] My friends.
Reducem] When I am returned
Eum certiorem fecerat] Had informed him.
Inter confabulandum] In conversation.
Ei auctor fuit] First put it into his head.
Ut haberet ipse quîcum versaretur] That he might have some one for a companion.

riâ exciderit quidquid bonus nauta Eboracensis eum admonuerat.

Sed re paululùm consideratâ, equidem, ait *Robinson*, quatuor tantummodo aureos habeo. Ecquid ego commercii cum hâc exiguâ re eo loco faciam quò tu proficisceris? Sex insuper aureos ego tibi commodabo, respondit præfectus. Nec majore pecuniâ tibi opus est ad emendum unde multas in *Guineâ* opes consequaris. Quoties ab exiguis initiis res maximæ profectæ sunt!

Sed quid ego his emam? *Robinson* interrogat; meras nugas, respondit præfectus, vitres, torques, cultros, forfices, secures, tænias, etc. quibus nigri Africæ incolæ tantopere gaudent, ut tibi vim auri eborisque centies majorem pro iis daturi sint.

Nec jam diutiùs sibi *Robinson* temperare potuit; sed oblitus parentum, amicorum, patriæ, exclamat: En ego tibi comes itineris præstò sum. Agedum, respondit præfectus, dextrisque junctis rem paciscuntur.

Ecquid ego commercii faciam] How much shall I be able to do in the way of business?

Unde multas opes consequaris] That by which you may gain much wealth.

Torques] Chains. *Forfices*] Scissars. *Tœnias*] Ribbands.

Centies majorem vim] A hundred times as much.

Daturi sint] Will give.

Robinson itaque decem aureis dives ad urbem properat, comparat varias merces, uti navarchus præceperat comparatasque in navem transportandas curat. Paucis diebus elapsis, vento favente, præfectus navis anchoras solvi, atque vela ventis dari jussit.

Comparatasque] And having provided them.

CAPUT SECUNDUM.

Robinson *pergit iter.—Mala omina.—Navis incensa.—Alia fluctibus jactata.—Advehitur ad insulas* Canarias.—*Descriptio loci illius amœnissimi.—Inde profectus ad* Americam *naufragium facit.*

Novum hoc Robinsonis iter faustissimum initium habuit. Jamque incolumes fretum *Calesium* transierant, et in ipso Atlantico mari versabantur. Tum verò per plurimos dies continuos vento reflante navis Americam versùs abrepta est.

At ecce vespere quodam gubernator declaravit se flammas relucentes a longinquo conspicere, cùmque inspectâ tabulâ nauticâ intelligeret vel ad centum milliaria nihil terrarum esse, conjectabat hunc ignem nihil aliud esse nisi navem incendio flagrantem.

Vix hæc dixerat, cùm in auras tolli visa est navis, terribili cum fragore, et mox tota undis obruta est. Cùm nox supervenisset, nihil ampliùs cerni poterat. Primâ autem luce apparent duæ scaphæ, cum fluctibus colluctantes, quæ remis

Vento reflante] The wind being contrary.
Inspectâ tabulâ nauticâ] Having looked at the chart.
In auras tolli] To be blown up into the air.

pertinaciùs everberabant mare, ut ad navem accederent. Extemplò præfectus vexillum nauticum explicuit, significans se ad opem illis ferendam paratum esse. Navis ipsa omnibus velis ad eos tendit, atque intra dimidium horæ ad miseros pervenit.

Sexaginta erant, viri, mulieres et pueri, qui omnes nave excepti sunt. Erat res omninò miserabilis, cùm infelices illi faucibus mortis se ereptos viderent. Alii enim flere præ gaudio, alii clamare, quasi periculum nunc primùm immineret; illi exultare saltu lymphatico, hi verò pallidi manus torquere. Nonnulli stare muti et stupentibus similes. Nemo quòque inter nautas tam ferreus quin his conspectis commotus ipse lacrymaretur.

Cùm eis paulatim rediisset animus, unus narravit quid miseris accidisset.

Navis incensa magna quædam navis erat mercatoria Francorum, quæ ad insulam *Martinicam* tendebat. Exarserat ignis in cubiculo gubernatoris, flammâ tam velociter grassante, ut nulla ejus extinguendæ spes adforet. Vix per tempus

---

Qui omnes nave excepti sunt] Who were all taken into the ship.

Illi exultare, &c.] Some danced for joy as if crazy.

Torquere manus] Wrung their hands.

Navis incensa] The ship which had been burned.

Exarserat] Had broke out.

Adforet] or *adesset*, the same as *aderat*, was present, i. e. there was no hope.

Vix per tempus licebat] There was hardly time.

licebat se in cymbas recipere, et ab incensâ nave paululùm discedere, cùm flammâ cameram in quâ pulvis tormentarius sepositus est corripiente, discerpta navis dissiluit.

Dum hæc narrarentur, sedebat in angulo *Robinson* silens, pallidusque, similis homini quem malefacti remordet conscientia. Hei mihi! ait ille secum, si cum hominibus illis inter quos sunt profectò quidam longè quàm ego meliores tam male agitur, heu! quid mihi expectandum qui sic erga parentes peccaverim?

Cùm illi cibo aliquo refecti fuissent, tum unus qui dignitate cæteris præstare videbatur, præfectum adiit, crumenamque aureis nummis plenam porrigens, Ego, inquit, miseram illam navem instruxi; hoc solum eripui, oroque ut pignus grati pro salute animi accipias.

Flammâ corripente] The fire catching.

Pulvis tormentarius] Gunpowder.

Discerpta navis dissiluit] The ship was blown to pieces.

Malefacti conscientia] The consciousness of some crime.

Profectò quidam] Some without doubt.

Tam male agitur] It fares so badly.

Dignitate cæteris præstare] To be of superior rank to the others.

Crumenam] His purse. *Instruxi*] I fitted out.

Grati animi] Of gratitude.

Tum verò fuit res spectaculo digna, certamen ambos inter viros, uter hinc gratior, inde honestior foret.

Absit sanè, respondet præfectus, ut munus tuum accipiam. Cùm ego vobis opem tuli, nihil aliud egi quàm quod a naturâ homini erga hominem præscriptum est, scilicet ut homo homini, quicumque sit, consulat, ob eam causam quòd is homo sit.

Frustrà ille præfectum urgere ut oblatum munus acciperet; perseveranter negavit, rogans ut rem planè dimitteret. Tum deliberatur quònam servati homines essent vehendi. Duplex erat causa cur ad *Guineam* non ducerentur. Primò quidem minimè opus erat longum iter in eam regionem facere, nihil ibi negotii habentibus.

Nec deinde tanta aderat in nave ciborum copia undè tot navigantes in itinere victitarent.

Absit sanè] Far be it from me.

Scilicet ut homo homini, quicumque sit, consulat.] Namely, that man should help his fellow, whoever he may be.

Ut rem planè dimitteret] That he would give over pressing him.

Quònam] Where, to what place.

Servati homines] The persons they had saved.

Nihil ibi, &c.] For those who had no business to do there.

Tanta, &c.] Neca derat *(nor was there)* tanta copia ciborum in nave.

Præfectus tandem statuit, omissâ propriâ utilitate centum et ampliùs milliaribus a viâ rectâ deflectere, eosque in *terram novam* transportare ubi sperabat fore, ut sese offerret opportunitas in Galliam cum piscatoribus asellorum redeundi. Eò igitur cursum direxit, cùmque advenisset, naves gallicas nactus est quæ miseros receperunt. His peractis iter suum ad *Guineam* prosecutus est.

Tum navis celerimo cursu aquas secat; quâ navigandi velocitate *Robinson* noster mirè delectatus est. Post aliquot dies ecce magnam navem conspiciunt, ad se tendentem. Mox verò audiunt sonitum tormentorum periculi instantis indicem, et animadvertunt navem esse duobus malis orbatam. Cùm ad eam propriùs accessissent, qui in eâ vehebantur, sublatis manibus, miserabiliter exclamant: Servate infelices quibus omnibus pereundum est, nisi vos eorum miserebit.

Tum ex iis quæsitum est quid mali accidisset? Quidam verò ex illis sic orsus est:

Angli sumus, ex insulâ *Jamaica*, sacchari vecturam inde deportaturi. Ibi dum navis staret anchoris alligata præfectus cum gubernatore in

---

Omissâ propriâ utilitate] Without considering his own interest.

Cum piscatoribus, &c.] With cod fishers.

Orbatam esse] Had lost.

Quibus omnibus pereundum est] Who all must perish.

Vecturam sacchari] A cargo of sugar.

terram descendit, ad merces aliquas insuper emendas.

Intereà exorta est tempestas, tanto cum turbine, ut fune disrupto, navis, ex portu in altum propelleretur. Tempestas ista tres dies noctesque sæviit; tum malis omnibus amissis, centum et plura milliaria abrepti sumus. Accedit ad hanc nostram calamitatem quòd nemo nostrorum artis nauticæ peritus sit; novem jam integras hebdomades hinc et inde jactati, victum omnem consumpsimus, et nostri plerique jacent fame exhausti.

Bonus itaque præfectus statim cymbam exponi jussit, assumptâque secum idoneâ ciborum copiâ, ipse cum Robinsone ad navem accedit. Erat sanè lugenda prorsùs omnium conditio qui in illâ vehebantur: universi inediâ quasi consumpti; nonnulli vix poterant pedibus stare.

Cùm autem cubiculum nauticum intrâssent.— Horrendum visu! jacebant humi mater, filius et servula, qui omnes fame enecti videbantur. Mox autem deprehensum est reliquias in eis animæ vitalis superesse. Postquam enim nonnullæ succi

---

Insuper] Over and above what he had already.

In altum] Out to sea.

Nostri plerique] Most of us.

Inedia] By famine.

Deprehensum est] We discovered.

Nonnullæ succi e carne expressi guttæ] Some drops of gravy squeezed from meat.

e carne expressi guttæ in os cujusque instillatæ sunt, lucem oculis quærere cœperunt.

Mater præ nimiâ virium imbecillitate nihil quidquam absorbere poterat; cùm autem innuisset, ut tantummodò filio suo consuleretur, mox illa expiravit.

Inter hæc duo reliqui animam receperant, atque ut erant ætate robustiores, præfecti diligentiâ feliciùs servati sunt. Cùm autem juvenis oculis in matrem conjectis, mortuam esse intellexisset, tantus eum invasit dolor, ut deficientibus iterùm viribus ægrè ad vitam revocari posset. Vicit tamen cura, atque ille cum servâ quoque è faucibus mortis ereptus est. Deinde præfectus navem omni genere alimentorum instruxit, malos a fabris suis reficiendos curavit, ignarisque maris peritum nautam dedit qui navem regeret; atque ad terram proximam ipse tendit ut novam cibariorum com-

---

Lucem oculis quærere] To open their eyes.

Innuisset] Made a sign.

Ut filio suo consuleretur.] That they should take care of her son.

Duo reliqui] The two others.

Deficientibus viribus] Swooning.

Vicit tamen cura] But care prevailed.

Malos, &c.] He ordered the masts to be refitted by his carpenter.

Ignaris maris] To those unskilled in navigation.

parationem faceret. Hæc erat insula *Madeira;* una è *Canariis. Robinson* unà cum præfecto in terram descendit, atque ibi lætissimo fortunatæ illius insulæ aspectu satiari non potuit. Scilicet terra partim in planitiem porrecta, partim in colliculos molliter assurgens, vernantem frugiferarum arborum copiam explicat. Cœli admodum jucunda temperies; vix ullus enim hîc hyemis rigor; ita vim omnem frigoris retundunt clementiores solis radii mollesque favoniorum animæ quarum flabellis regio tota circumquàque ventilatur. Erant in oculis, quàm longè patebat prospectus, segetes in agris benè pinguibus diffusæ, juga montium continuis vitibus consita. Ut arridebant *Robinsoni* nostro pendentes racemi! O quales ille hausit delicias, cùm præfectus ære dato impetravit ut juveni liceret uvis pro libidine satiari.

Comparationem] Provision.

In planitiem porrecta] Extending itself into a plain.

Vernantem copiam] A delightful abundance.

Explicat] Displays. *Retundunt*] Repress, allay.

Molles favoniorum animæ] The soft breath of zephyr; or the west wind.

Quarum flabellis] By the fanning of which.

Erant in oculis] He saw.

Quam longè patebat prospectus] As far as the prospect extended.

In agris pinguibus] Over fertile fields.

Ut arridebant, &c.] How the hanging clusters delighted Robinson—smiled on him as it were.

Postquam ibi aliquantùm temporis moratus esset navis reficiendæ causâ, anchoram solvit.

Per plures continuos dies felicissimo cursu usi sunt.

At ecce repentè vehemens tempestas ab austro oritur. Spumabant fluctus, et in immensam surgebant altitudinem. Navis tamen stetit invicta; sed cùm sex dies continuos atrox tempestas sæviisset, illa tam longe a viâ dejecta est, ut nec præfectus, nec gubernator ampliùs intelligerent quonam in loco versarentur. Arbitrabantur tamen se ab insulis quæ *Caraïbæ* vocantur non multùm distare. Septimo autem die cùm primùm illucesceret, e nautis quidam ingenti omnium lætitiâ, terram inclamat! Tum omnes in stegam conscendere visuri quænam sit terra illa ad quam appulsuri sunt; sed nunc lætitia in summum terrorem mutata est. Ecce enim navis impingitur: quo ictu qui stabant in stegâ excussi omnes planè corruerunt.

Scilicet navis in syrtem tam vehementi impetu allisa erat, ut hæreret quasi affixa. Confestìm verò fluctus spumantes tantam vim aquæ in

---

Usi sunt] They had.

Cum primùm illucesceret] At dawn of day.

Appulsuri sunt] They were about to approach.

Impingitur] Is driven aground.

Quo ictu, &c.] By the shock, all who were on deck were knocked off their legs and fell.

Allisa erat] Had dashed.

stegam profuderunt ut omnibus in cubiculo fuerit confugiendum, ne ipsi abriperentur.

Tum flebilis nautarum oriri clamor; tum ejulatus hinc Deum orantium, inde clamantium; alii desperantes sibi crines avellere, quidam jacere semianimi.

Hos inter *Robinson* erat expiranti similis; ac repentè exclamant navem dehiscere. Itaque in stegam omnes accurrere et demissam quàm celerrimè in scapham omnes desilire. Tanta autem erat multitudo inconsultè ruentium, ut vix scapha, palmæ latudine undas superaret. Cùm verò terra procul abesset, cuncti de orâ unquàm assequendâ, sæviente adeò tempestate, desperabant.

At ecce ingens fluctus ad scapham volvi, montis instar, quo omnes conspecto obstupescere, remosque dimittere. Nunc, nunc instat periculum. Et jam aquæ mons scapham assequitur subvertitque; tum universi hauriuntur.

Profuderunt] Poured.

Ut omnibus fuerit confugiendum] That all were obliged to betake themselves.

Dehiscere] Was going to pieces.

Demissam in scapham desilire] Having let down the boat, they jumped into it.

Vix palmæ latudine undas superaret] Was scarcely a hand's breath above the water.

De orâ unquàm assequendâ] Of gaining the shore.

Remosque demittere] And let fall their oars.

CAPUT TERTIUM.

Sera Robinsonis *pœnitentia.—Desperatio.—Vitam miserè sustentat.—Habitat in speluncâ.*

Felici fato contigit ut ingens ille fluctus qui *Robinsonem* absorpserat, idem vi magnâ reciprocans, hominem in vado exspueret. Hic cùm præter exspectationem in sicco versaretur, tum extremis viribus usus est ut summan in oram ascenderet; cùmque eò pervenisset cœpit circumspicere: Eheu! qualia oculis obversantur! scapha, navis, socii, omnia demersa. Nihil omninò reliquum præter avulsas tabulas quæ fluctuantes ad terram ferebantur. Unus ipse, unus mortem effugerat. Gaudio igitur et terrore trepidans, in genua procubuit, manibusque sublatis, lacrymis perfusus, Deo pro salutis miraculo gratias egit. Cùm verò nihil præter arbusta, aut arbores deprehenderet,

Reciprocans] Returning back.
Hominem in vado exspueret] Threw him on dry land
Summam in oram] To the main land.
Avulsas tabulas] Loose planks.
Unus ipse] He alone.

nec ulla vestigia unde intelligere posset hanc regionem ab hominibus incoli; jam gravissimum illi videbatur vitam sic in solitudine degere. Venit quòque in mentem esse fortè vagantes belluas, aut feros homines; tum multò majori horrore perculsus est: itaque primùm præ timore nec stare ausus nec progredi, circumspectare omnia et vel minimo strepitu expavescere. Sed mox quâ ardebat sitis torporem istum excussit; quam cùm diutiùs tolerare non posset, fontem aut rivum indagare cœpit, et sic vestiganti occurrit manans per herbas rivulus; quem ille secutus invenit fontem liquïdissimum quo valdè recreatus est.

Nec illum fames tunc maximè urgebat. Quippe cui angor terrorque omnem cibi appetitum exemerant. Sed erant adeò exhaustæ illius vires, ut multò magis requiescere optaret. Attamen caput erat locum invenire in quo tutus pernoctaret. Nulla domus, nullum tugurium, nullum specus erat in conspectu. Sic diù consilii inops flevit. Tandem aves imitari hospitiumque in arbore quærere statuit. Ac brevi unam prospexit tam densam opacamque, ut commodè insidere dorsumque accli-

---

Gravissimum] A heavy affliction.
Quâ ardebat sitis] Sitis quâ ardebat excussit, &c.
Manans] Flowing.
Caput erat] The first thing to be done was.
Hospitium] A lodging.

nare posset. Hanc ascendit reptando, pièque Deum precatus, cùm se composuisset, statim obdormivit. Inter somnum, illius menti, ut erat curarum æstu jactata, rerum earum quæ pridiè vigilanti acciderant recursabant imagines. Videre sibi videbatur motum et agitationem fluctuum navem haurientium, nautarumque ejulatus exaudire. Sibi in animo fingebat parentes luctu ac mœrore confectos qui filii vicem dolentes, manibus ad cœlum sublatis, flebant et omne prorsùs solatium aversabantur. Tunc altâ voce exclamat, inter somniandum : Adsum, adsum, parentes carissimi! dumque amplexu matrem petit, decidit ex arbore : sed fortè quod ipsi faustum fuit, sedem in loco non ita sublimi posuerat, solumque tam denso gramine vestitum erat, ut ille casu non ita gravi decideret. Iterùm arborem suam conscendit, in quâ manibus retinens surculos circà eminentes, ad ortum solis remansit.

Primâ luce cœpit cogitare quâ ratione victum

Curarum æstu jactata] Tossed about on a sea of cares.

Illius menti] *Ordo*, Imagines earum rerum quæ pridiè acciderant *ei* vigilanti, recursabant menti, ut erat jactata æstu curarum.

Aversabantur] Rejected, refused.

In loco non ita sublimi] Not in a very lofty part of the tree.

Solum] The ground.

Surculos] The young branches around him.

sibi pararet. Omnes verò arbores quas hactenùs conspexerat, erant ex abietum genere; atque illæ folia quidem, sed fructus ferunt omninò nullos.

Nec satis illi liquebat quid sibi faciendum esset. Ex arbore tamen descendit. Cùm autem pridiè nihil omninò comedisset, cœpit fame sævissimâ laborare; itaque huc illuc per aliquot millia passuum discurrit; sed discurrendo nihil invenit, nisi arbores steriles et gramina.

Tunc summo angore excruciatus famem et ultima sibimet ominabatur: Pereundum mihi erit fame! exclamat; miserabiliter ejulans. Desperanti verò necessitas satis animi viriumque adjecit, ut se ad littus maris conferret investigaretque diligentiùs si quid fortè alimenti inveniret. Sed sua eum spes fefellit. Hîc verò debilitatus fractusque procubuit, facie in terram demissâ, flentemque miserè pœnituit, quòd non fuisset fluctibus et ipse obrutus. Et jam statuerat in hoc miserabili rerum articulo expectare, dum lenta fames morte omnium teterrimâ consumeret vitam, cum fortè conversus, ecce conspexit nonnullas in arenâ

Folia, &c.] *Ordo,* Illæ arbores ferunt folia (produce leaves) sed *ferunt* nullos fructos.

Nec satis illi liquebat] Nor was it clear to him.

Ultima] The last extremity, death.

Flentemque miserè pœnituit] And weeping he repented.

Dum lenta, &c.] Till hunger, by a lingering death, the most horrible of all.

quamas ostrearum. Avidus itaque eò accurere, ircumspicere, scrutari, num fortè plenas quasdam eperiret, repertisque exultare.

Ac primò quidem illas non sine difficultate ape-uit; sed inserto plano eodemque acuto silice per-ecit, ut triginta circiter haustis ventrem paululùm lacaret.

Cùm nunc certior esset se posse quamvis miserè ustentare vitam, jam maximè sollicitus erat quò e à feris hominibus aut bestiis tutum reciperet.

Tum in montem summum, ægrè, ut erat satis xcelsus, ascendit, unde quàm latissimè circum-picere poterat; sed quantus eum terror invasit, ùm vidisset se esse in insulâ, neque ullam omninò, uàm longè aciem oculorum intendere posset, ter-am apparere præter tres parvas insulas quæ spatio liquot milliarium interjecto, ex æquore emine-ant!

Heu! me miserum! exclamat, manibus ad cœ-

Repertisque exultare] And having found some he eaped for joy.

Plano eodemque] Flat and at the same time.

Neque ullam, &c.] Neque ullam terram, &c.

Quàm longè aciem oculorum intendere posset] As far s the eye could reach.

Spatio aliquot milliarium interjecto] At a few miles listance.

lum miserabiliter sublatis. Me ne ab hominum commercio ita sejunctum esse, ut mihi in hâc solitudine vivendum sit velut feræ bestiæ! Heu parentes optimi! nunquam igitur ego vos revisam! Nunquam licebit culpæ meæ veniam exorare!

Et sic dolens descendit de monte, circumspiciens ubi posset in tuto se collocare. Diù autem frustrà indagavit; tandem ad locum editiorem pervenit, ex adversâ parte, instar parietis, præruptum. Cùm accuratiùs exploraret, locum invenit leviter excavatum, satis angusto aditu. Hîc si quævis instrumenta ferrea habuisset, facili negotio cavum in saxo excisum per fragmenta habitaculo idoneum fecisset. Sed cum hæc omnia desideraret, huic inopiæ medendum erat.

Cùm diù multùmque deliberâsset, sic secum statuit; arbores, quas hîc video, salicibus patriis similes sunt, quæ si transferantur novas facilè

Me ne, &c.] Am I so secluded from all intercourse with mankind!

Ex adversâ parte] On the side opposite him.

Instar parietis, præruptum] Broken so as to be perpendicular like a wall.

Excisum per fragmenta] Cut away by piece-meal.

Medendum erat] He was obliged to remedy.

Si transferantur] If they are transplanted.

Novas radices agunt] Take fresh root.

radices agunt. Eruam igitur manibus satis magnam earum copiam quæ, ante cavum denso ordine consitæ, erunt pro munimento; cum illæ radices egerint, ibi licebit clauso et securo mihi quasi in domo dormire.

Tunc felici hoc invento lætus, ad opus statim se accinxit. Sed quantò majore gaudio exultavit, cùm huic loco proximum fontem liquidissimum prospexisset è monte exilientem! Eò statìm properavit quia, cùm hùc illùc fervente sole discurrisset, multùm æstuabat.

Posteà verò cœpit manibus et multo sudore teneras aliquot arbores exstirpare, quas eò transtulit ubi sedem sibi destinaverat atque ibi quòque cavum fodere manibus oportuit in quo arbores insereret; hoc verò multùm temporis requirente, vesper advenit, vix quinque aut sex numero arboribus consitis. Fame compulsus oram maris rursùs petiit, ut novas conquireret ostreas; sed cùm æstus rediisset, totum littus occupaverant undæ; ægrè igitur unam aut alteram reperit, et sic malè pastus cubitum ire coactus est. Reversus est igitur ad arborem suam, ibi pernoctaturus, donec hos-

---

Felici hoc invento] With this fortunate device.
Multum æstuabat] He was boiling hot.
Cùm æstus rediisset] As the tide had returned.
Malè pastus] Having made a bad meal.

pitium sibi tutum confecisset. Nec autem hâc nocte idem ipsi accideret quod superiori, genualibus se ei ramo religavit, ad quem dorsum priùs acclinaverat, cùmque summo rerum creatori se commendâsset, tranquillè obdormivit.

Genualibus] With his garters.

Ad quem dorsum priùs acclinaverat] Against which he had before leaned his back.

CAPUT QUARTUM.

Robinson *reperit poma eximiæ magnitudinis.—Sibi conficit varia instrumenta.—Funiculos.—Stratum.—Umbellam.—Peram.—Calendarium.*

Hac nocte *Robinson* non decidit ex arbore; sed placidè usque ad ortum solis quievit.

Primâ luce, littus petiit, ut collectis ibi ostreis, ad opus inchoatum reverteretur. Cùm eò aliâ viâ tenderet, eunti contigit invenire arborem quæ poma inusitatæ magnitudinis ferebat. Etsi eorum indolem ignorabat, sperans tamen ea fore quibus vesci posset, unum ex iis decussit.

Erat autem nux oblonga nec minor capite pueruli quæ vulgò in Americæ insulis vocatur *cocossa.* Erat nucleus quasi medulla et succus qui saporem

Inchoatum] Newly begun.
Decussit] He knocked down.
Erat autem] He found also.
Cocossa] Cocoa-nut. *Nucleus*] The kernel.

olei ex dulci amygdalâ expressi referebat, atque in medio lac exquisitum.

Cùm stomachum latrantem una non placaret, secundam, tertiam quòque decussit, quibus abundè satiatus, tamen littus maris petiit; cùmque mare reddidisset terras paulò ante salo mersas, nonnullas passìm in sicco ostreas reperit. Magnam quòque et planam in littore concham invenit quâ pro spathâ usus est; atque illud ipsi non mediocri fuit adjumento. Nec multò post plantam deprehendit fibroso caule, qualis est apud nos lini aut cannabis.

Hæc ille et talia quovis alio tempore neglexisset; nunc verò nihil omittebat, intentus ad singula, si fortè inde aliquid utilitatis caperet.

Itaque sperans id plantæ genus non minùs sibi fore opportunum quàm linum nobis aut cannabem, ejus copiam evulsit, colligatosque fasciculos in aquam demersit.

Diebus aliquot peractis cùm animadvertisset exteriorem crustam aquâ jam satìs emollitam, fasciculis inde sublatis, stirpes molliores factas ad

---

Olei ex dulci amygdalâ expressi] Oil of sweet almonds.

Referebat] Had the taste of.

Reddidisset terras] Had retired again from the shore.

Plana concha] A flat shell.

Fibroso caule] With the stem full of fine threads.

Qualis est lini, &c.] Like the stalk of flax or hemp.

Fasciculis inde sublatis] Having taken the bundles out of the water.

solem apricum explicuit. Quibus vix mediocriter siccatis tentavit num hoc quòque lini instar repetito fustis ictu conteri posset. Cùmque res ex sententiâ cessisset, confestim funiculos facere tentat tantâ firmitate, ut concham baculo affixam alligare posset. Et sic habuit instrumentum haud absimile ligoni olitoris.

Tum verò opus assiduò persecutus est, densasque conseruit arbores, donec areolam ante propositum sibi habitaculum omninò sepsisset, atque indè quasi paries exstitit adeò validus, ut nonnisi vi multâ expugnari posset.

Illas veniente die, illas decedente irrigabat aquâ e fonte proximo haustâ, ac brevi magno cum gaudio teneras vidit arbores suas virescentes, crescentesque adeò feliciter ut mira esset in ipso aspectu loci amœnitas.

Cùm septum perfecisset, continuum resti torquendæ impendit diem, ex quâ sibi scalam conficeret: noluerat enim habitaculum suum portâ

Apricum] Warm. *Lini instar*] Like flax.

Repetito fustis ictu] By repeated beating with a stick.

Conteri] To be bruised to threads.

Ex sententiâ, &c.] Went according to his wish.

Ut concham, &c.] That he might tie the shell to a stout stick so as to serve for a spade.

Ligoni olitoris] A gardener's shovel.

Donec areolam, &c.] Till he had completely hedged in the little space where he had previously resolved to build his habitation.

claudere, ne satis firma non foret adversus irruentis feræ impetum.

Quæ rupes habitaculo imminebat, habebat circiter duodecim pedum altitudinem. Stabat in summâ arbor cui scalam ita alligavit, ut in terram dependeret. Tum conscendere rupem aggressus est, quæ res ex voto cessit.

His omnibus confectis, secum deliberare cœpit quomodò cavum augeret ita ut esset spatium in quo habitaret. Atque facilè intellexit tale opus solis manibus non esse suscipiendum. Excogitandum erat instrumentum quod foret adjumento.

Eâ mente regionem lustravit, et post multas investigationes nactus est lapidem securis formam referentem, præacutum, atque in eo foramen in quo manubrium intrudi posset. Quæ res quòque multo labore, et lapide alio adhibito feliciter successit: cùmque fustum alligâsset funiculis quos propriâ arte paraverat, hærebat manubrium quasi clavis affixum.

Dum pergit quærere, duos invenit lapides alios, variis operibus aptos; alter instar erat tudiculæ, alter ita formatus, ut aciem cunei haberet. Utro-

Stabat in summa] There was at the top of the rock.
Ex voto cedere] To happen according to one's wish.
Lustravit] Searched.
Referentem] Having.
Lapide alio adhibito] By the help of another stone.
Tudiculæ] A mushroom.
Aciem cunei] A sharp edge like a wedge.

que *Robinson* assumpto, tam alacri animo reversus est, ut extemplò se ad opus accingeret.

Qui quidem tum cuneo, tum tudiculâ sensim multa rupis fragmenta decussit. Res erat plena sanè laboris. Sed diebus aliquot in opere consumptis tantoperè processerat, ut spatium cubiculo idoneum existimaret. Tunc avulso gramine, siccatoque, fœnum confecit, lectulum inde commodum sibi paraturus.

Nihil igitur fuit impedimento quominùs in suggestu molli somno indulgeret, postquam, alitum more, sedenti in arbore octo et ampliùs noctes fuerant traducendæ. O quantâ voluptate perfusus est cùm licuit fessos artus in lectulo componere!

Dominica dies proxima erat. Quam *Robinson* orando et meditando consumpsit, rogans Deum sibi peccatorum veniam, parentibus verò miseris præsidium et solatia.

Atque ne dierum ordo excideret e memoriâ, diem verò dominicam semper dignosceret, venit in mentem *Robinsoni* sibi calendarium condere; non illud quidem tam accuratum, nec typis impressum, quali nos in Europâ utimur, ejusmodi tamen ut ad dies numerandos sufficeret. Quod

---

Tum cuneo tum tudiculâ] Now with his wedge, and now with his hammer.

In suggestu molli] Upon this soft heap.

Fuerant traducendæ] Had been obliged to be passed.

Dignosceret] Might distinguish.

quidem tali modo assecutus est. Quatuor arboribus contiguis cortice quàm levissimo electis, unam quæ magnitudine cæteras superabat, quoque vespere lineolâ incisâ notavit, quæ diem absolutum significaret. Post incisas septem lineolas, erat finis hebdomadæ, et hunc indicabat exarata in proximâ arbore linea.

Quoties in alterâ hâc arbore quatuor aut quinque lineolas insculpserat, in tertiâ arbore simili lineâ notabat integrum mensem elapsum. Duodecim autem lineis menstruis absolutis, in quartâ arbore signabat annum peractum. Cùm autem menses quique non sint pari dierum numero, vicibus alternis, triginta uni, triginta et unum alteri incidebat, excepto mense februario quem octo et viginti tantùm lineolis designabat.

His ergo annalibus, *Robinson* temporum ordinem servavit, diemque dominicam a cæteris dignoscere potuit, quam more Christianorum ritè celebraret.

Interim erat consumpta maxima pars nucum cocossæ ejus quam unam huc usque invenerat,

---

Cortice levissimo] With very thin bark.

Quoque vespere] Every evening.

Incisâ] Cut in the bark.

Et hunc, &c.] Ordo. Et linea exarata (*cui*) in proxima arbore indicabat hunc scil. finem hebdomadis.

Lineis menstruis] Monthly lines.

Menses quique] Some months.

Triginta uni] He cut thirty, one month.

atque in littore tam raræ apparebant ostræ ut homini alendo non sufficerent. Itaque de victu iterùm sollicitus esse cœpit.

Hactenus quidem non longè ab habitaculo suo discesserat, metu ferarum aut hominum. Jam verò necessitate coactus, insulam perlustrare ausus est ut nova quæreret alimenta, constituitque die proximâ facere excursionem. Sed ut se à nimio solis æstu defenderet, vesperam istam umbellæ conficiendæ impendit. Cùm haberet neque linteum, neque virgulas balænarum, nec forfices, neque acum, neque fila, e viminibus salignis tegmen struxit, et insertum in mediâ parte baculum funiculis alligavit. Tum ex arbore cocossæ folia sumpsit latiora quæ tegmini spinis affixit; sicque umbellam confecit tantâ densitate ut solis radiis esset omninò impervia. Atque eâdem arte textis funiculis fabricavit sibi peram in quâ et victum secum portaret, et conderet alimenta, si modò quædam invenire sibi contigisset.

Tum verò tantoperè lætatus est opere perfecto ut noctem præ gaudio insomnem traduxerit.

Umbellæ] An umbrella.

Virgulas balænarum] Whalebone.

E viminibus] Of willow osiers.

Spinis] By means of thorns.

Textis funiculis] Having woven together some small cords.

Conderet alimenta] And stow his provisions.

CAPUT QUINTUM.

Robinson *insulam perlustrat . . .—Magnus terror.—In gaudium vertitur.—Descriptio* Lamæ. *—Unum occidit.—Sed igne caret.—Carnem more* Tartarorum *coquit.*

Robinson vix ortum diei expectare poterat; ita prævertit lucem ipsam; peram funemque corpori circumdedit; securique pro gladio cinctus, et umbellâ humeris impositâ, in viam alacriter se dedit ac primùm arborem cocossam adiit ut unam aut alteram nucem decerperet; tum littus quòque revisit, ostreas collecturus; cùmque utriusque generis satis magnam copiam sibi comparavisset, iter ingressus est.

Mira cœli matutini erat serenitas. Sua redeunte luce singulis rebus forma redierat. Sol oriens clarissimo fulgebat splendore quasi ex oceano emer-

Prævertit] He was beforehand with.
Circumdedit] Tied round.
Sua] Sua forma redierat singulis rebus.

geret, arborumque cacumina veluti inaurabat. Multæ undique aves variis mirisque pictæ coloribus carmen canebant matutinum, auroram salutantes. Puro frigidoque aere, flores suavissimum odorem exhalabant.

Robinson gaudii et gratitudinis sensu commotus: Hîc quoque, ait, hîc Deus se benignissimum declarat. Tum vocem ipse suam cantibus avium miscuit, verbaque cecinit quæ pietas suggerebat.

Cùm *Robinson* à bestiis ferisque hominibus sibi metuere non desiisset, in itinere sylvas dumetaque sedulò vitabat, ea autem petebat loca ubi quàm latissimè pateret prospectus. Illa autem ipsa erant maximè nuda steriliaque. Quamvis igitur satis longum spatium emensus esset, nihil tamen invenerat quod sibi aliquâ ex parte prodesset. Tandem in fruticem incidit quem accuratiùs explorandum censuit. Erant herbæ tam densæ ut sylvulam referrent; aliæ flores subrubros, aliæ albicantes, nonnullæ florum loco poma viridia ferebant. Extemplò itaque gustat unum ex iis, sed erat adeò acerbum ut indignatus stirpem undè istud decerpserat, evulserit. Tum verò miranti apparuerunt

---

Veluti inaurabat] Tinged as it were with gold.
Ubi pateret prospectus] Where the country was open.
Emensus esset] Had measured, gone over.
Referrent] They were like.
Subrubros] Reddish. *Florum loco*] Instead of flowers.
Stirpem evulserit] He pulled the plant up by the roots.

tubercula diversæ magnitudinis quæ ab ipsis stirpium radicibus pendebant. Confestim quòque existimavit, ista verè esse plantæ istius fructus, eaque curiosiùs considerare cœpit. Cùm verò ipsius palato minimè arisisset sapor, jam in eo erat ut ista omnia abjiceret, cùm secum reputavit, non ea esse inutilia omninò habenda, quorum usus primo statim aspectu intelligi non possit. Itaque nonnullis tuberibus in peram demissis *Robinson* longiùs progreditur, lento tamen gradu et maximè cauto. Si vel minimum strepitum audiret dumetorum, aut arborum quas aura agitabat, continuò securim corripere quâ se defenderet; semper autem non sine gaudio animadvertit timorem vanum fuisse. Tandem devenit ad rivum, ubi prandere constituit. Igitur sub arbore altâ umbrosâque consedit; jamque cœperat magnâ cùm voluptate epulari, cùm repentè strepitu quodam longinquo vehementer exterritus est. Timidus itaque circumspexit, tandemque gregem magnum vidit pecudum ovibus nostris similium nisi quòd eminente paululùm dorso camelorum formam referant; cæterùm ovibus nostris paulò grandiores.

Huic animalium generi elegans caput, oculi

Tuburcula] Something like a potatoe.
Minimè arisisset] By no means pleased.
In eo] Scil. Animo.
Corripere] Corripiebat.
Referant] *Referre formam*, To resemble.
Cæterum] In other respects.

venusti, os productum, crassiora labia ; idem pes ac bovi, bifidus, sed ungue simul postico instructus, quo veluti morsu anchoræ cujusdam utuntur per abrupta quæ scandunt lubentiùs.

Lama lentus incedit, composito gravique sed eodem certo passu : quippe qui milliaria aut decem aut duodecem in diem per loca jumentis impervia cæteris conficiat, per anfractus descendat præcipites, idemque saxa ardua et ipsis hominibus inaccessa exsuperet. Quatriduum fermè emensus iter, ipse per horas quatuor et viginti ultrò cessat et quiescit. Placidum ipsis, mite et prudens ingenium ; sicubi consistere placuit, flectere illi genua, corpusque demittere ne onus dimoveant, præcaventes. Deinde sibilo misso, nullâ morâ, cautè admodum surgentes, iter incœptum peragere. Herbas autem inter eundum depascunt, noctu etiam

---

Os productum] The mouth drawn down ; that is, the under lip hanging down rather below the upper.

Ac] As. *Bifidus*] Cloven-footed.

Ungue simul postico instructus] Provided with a sort of hinder claw.

Eodem certo passu] At the same time, at a steady, constant pace.

Quippe qui conficiat] For it will perform.

Per loca, &c.] Per loca impervia cæteris jumentis.

Exsuperet] Will scale.

Quatriduum iter] A four days journey.

Sicubi, &c.] If at any time it was wished to stop.

Sibilo misso] Snorting.

dormientes ruminant, prono pectore pedibusque ad ventrem reductis decumbentes. Originem habent ex istâ Americæ regione quam Hispani tenent, quæque Peruvium dicitur.

Robinsonem, cùm animalia ista appropinquare vidisset, incessit dira cupido edendi carnem assam quâ tandiù caruerat. Constitit post arborem securi instructus, sperans fore, ut aliquem propiùs transeuntem lamam facilè sterneret. Quod benè successit. Cùm enim unus e pullis satis appropinquâsset insidianti, *Robinson* cervicem ejus percussit tanto ictu, ut extemplò exanimis ille procideret, humerisque impositum secum in habitaculum asportavit.

Cùm rediret, invenit aliquid quod magnâ ipsum lætitiâ afficeret; scilicet sex aut octo malos citreas sub quibus nonnulli fructus jam maturi ceciderant. Illis curiosè collectis, locoque notato, hilari animo domum contendit. Ibi autem primò cœpit lamam excoriare. Quod quidem confecit ope silicis acuti,

---

Reductis] Bent up.

Robinsonem] Dira cupido edendi &c incessit Robinsonem, &c.

Sterneret] That he might knock down.

E pullis] Of the young ones.

Insidianti] To him hiding behind the tree.

Cùm rediret] As he was returning.

Malos citreas] Apple-trees of the citron-kind.

Curiosè] Diligently.

quo pro cultro utebatur. Pellem detractam ad solem expandit; quamquidem præviderat sibi non mediocri fore utilitati. Calceamenta enim tibialiaque longo usu attrita erant. Existimavit ergo, ubi calcei defecissent, se posse soccos e pelle conficere, quos pedibus subligaret. Sollicitus quòque de hyeme, magnoperè lætatus est quod pellem villosam nactus esset quâ se contra vim frigoris defenderet. Et quidem ab istâ sollicitudine vacuus esse potuisset, cùm in istis regionibus prope circulum æquinoctialem positis hiems sit nulla. Hoc autem *Robinson* ignorabat, quippe qui puer omnem omninò doctrinam aversatus fuisset.

Pelle igitur detractâ, exemtis visceribus, dissectâque ut assaret posticâ parte, primam ad veru comparandum curam intendit; atque hoc consilio arborem tenuem excidit, eamque, detracto cortice, ab extremo præacuit; duos deinde ramos qui furcæ speciem habebant, deligit, veru fulciendo idoneos. Quos etiam ab imâ parte cùm acuisset, in terram ex adverso defigit; tum carnem veru transfixam

---

Calceamenta tibialiaque] Shoes and stockings.

Soccos quos pedibus subligaret] Leathern stockings which he might tie under his feet.

Villosam] Woolly.

Vacuus esse potuisset] He might have been free from.

Ad veru comparandum] To prepare a spit.

Veru] Indeclinable.

Ab extremo] At the end. *Furcæ*] Of a fork.

Ex adverso] Opposite to one another, thus, | | | |

inter furcas posuit, nec mediocrem percepit lætitiam, cùm vidisset quàm aptè veru versaretur.

Jam præter ignem nihil *Robinsoni* deerat. Quem ex duobus ligni fragminibus inter se collisis elicere aggressus est, sed frustrâ. Quoties enim ligna incalescere cœperant, toties ipse adeò defatigatus erat ut aliquantulùm temporis a labore cessandum esset, ad vires reficiendas. Interim ligna refrigescere, omnisque labor irritus evadere. Tum ille iterùm nec sine magno dolore sensit quàm parvæ sint singulorum copiæ, quantaque emolumenta ex aliorum hominum societate deriventur ; etenim si vel unum habuisset socium qui, dum ipsum vires deficerent, terendi laborum continuâsset, profectò ligna demum ignem concepissent. Sed labor sic intermissus omninò periit.

Tandem animo fractus, lignis abjectis, considet in strato capiteque reclinato oculos non semel conjicit in carnem illam quam nunc non datur comedere. Ad hæc cùm subitò in mentem hiems recurrisset, tanto angore oppressus est ut e solo

Irritus evadere] Came to no nothing.

Quàm parvæ sint singulorum copiæ] How little one man can do alone.

Dum ipsum vires deficerent] At the moment he began to be tired.

Non datur] Was not permitted him.

exsurgens animi reficiendi causâ aliquantulùm circumiret.

Quibus cogitationibus æstuans, ad fontem se contulit, aquam frigidam putamine cocossæ inde hausturus. Succo deinde malorum citreorum admisto, potum satis suavem et recreandis viribus maximè in hoc rerum articulo idoneum sibi paravit.

Attamen carnis assæ desiderium nondum ille deposuerat. Tandem verò Tartarorum recordatus est, quos audierat carnem quam comedere cupiant ephippiis subjectam citato cursu coquere. Atque illud, ait secum, aliâ ratione assequi possum; et continuò rem tentare constituit.

Nec mora, duos lapides satis latos et læves quæret ejus similes ex quo securim confecerat. Tum hos inter aliquâ carnis parte interpositâ, superiorem lapidem tudiculâ perpetuò tundit. Quod cùm aliquandiù fecisset, lapis incalescere cœpit. Eò majori alacritate ille tundere; nec elapsa est hora tantùm dimidia, cùm caro et fervore lapidis

---

Aliquantulum circumiret [Took a little turn.

Ephippiis subjectam] By putting it under their saddles.

Aliâ ratione] By a different method.

Ejus similes] Like that.

Hos inter, &c.] Having put part of the flesh between these.

Tudiculâ] With his mallet.

et repetitis ictibus adeò emollita est, ut satis esculenta esset, nec illa quidem eâ saporis suavitate, quâ caro aptè assata: attamen *Robinsoni* nostro qui tamdiù carne caruerat, lautas dapes præbuit. Quò autem carnis saporem jucundiorem redderet, succo malorum citreorum expresso eam infecit, et sic exquisitissimè epulatus est.

Prandio confecto deliberavit quodnam opus tunc maximè sibi suscipiendum esset; et sic multa secum in animo volventi suasit metus hiemis ut plures lamas caperet aut interficeret, quorum pellibus uteretur. Qui cùm satis mansueti viderentur, facili negotio se voti compotem fore speravit. Hâc spe conceptâ ad lectum se contulit; somnus autem placidissimus præteritum diei laborem abundè compensavit.

Esculenta] Fit to be eaten.

Lautas dapes] A delicious feast.

Infecit eam] Seasoned it.

Se voti compotem fore] That he should obtain his wish.

CAPUT SEXTUM.

Turbo ingens.—Tempestas undè magnum Robinsoni beneficium.—Tedium solitudinis.—Aranea.

Robinson hâc quidem nocte placidè admodum dormivit. Cùm tandem expergefactus diem jam non parùm processisse animadverteret, surrexit celeriter lamas venaturus. Sed cœli tempestas obstitit. Quippe vix egresso, subitò regrediendum fuit; scilicet imber tantâ vi de cœlo ruebat, ut nulla spes esset foràs eundi. Itaque expectare statuit donec tempestas desiisset. Imbris verò violentia aucta est. Fulgura quòque ita micabant ut tota quasi arderet spelunca. Tum tonitrua sequebantur qualia nunquam audierat. Terra ipsa contremiscere, montesque ita reboare, ut fragoris istius nullus finis futurus esse videretur.

Cùm *Robinson* liberaliter non fuisset institutus,

Diem jam non parum processisse] That the day was considerably advanced.

Cœli tempestas] The weather.

Liberaliter institutus] Genteelly educated.

humanum erat timorem vanum et anilem concipere.

Sedebat ille in angulo speluncæ, junctis manibus, præsentibus graviora quæ sequerentur metuens. Interim imber ingruere, fulgura coruscare, tonitrua perpetuò resonare. Appropinquabat hora meridiana, necdum tempestas desævierat. Nec ipse quidem multùm esuriebat *Robinson*, quippe cui famem omnem angor exemisset; adeò tetris cogitationibus excruciabatur.

Venit sanè dies, ait ille secum, in quâ placuit Deo parentum ultori pœnas a me repetere; nec diutiùs ille paternâ me charitate tuetur. Pereundum mihi est; nunquam ego parentes miseros revisam.

Dum hæc secum ipse tristis volvit, vim tempestas remittit, et jam spes *Robinsonis* animum recreat; tum igitur in viam se conferre statuit. Cùm autem in eo esset ut peram securimque arriperet, ecce subitò . . . . . Attonitus in terram procidit.

Scilicet arbor speluncæ imminens fulmine icta, tanto fragore disrupta est ut *Robinson* exanimatus

---

Humanum erat] It was natural.
Anilem] Old womanish.
Ingruere] Came down with tremendous force.
Pœnas a me repetere] To punish me.
Remittit vim] Begins to abate.
Speluncæ imminens] Hanging over the cave.

se ipsum interemtum putaret. Diù etiam sensu planè orbatus jacuit. Tandem cúm intellexisset se adhuc vivere, e solo sese erexit; statim verò, ante ostium speluncæ, arboris a fulmine disruptæ atque prostratæ partem conspexit. Interim pluvia cessaverat, nec jam exaudiebantur tonitrua; tum *Robinson* ausus est e speluncâ prodire. Quid verò ejus oculis objicitur? Res scilicet quæ ipsi apertè, declaravit qùam parùm omni spe priùs abjectà sapuisset; ardebat enim truncus arboris, fulmine ictæ . . . *Robinson* igitur id subitò nactus est quo plurimùm indigebat. Tanto atque insperato lætus munere, manibus in cœlum sublatis, optimo hominum parenti gratias egit, qui vel inter maximè terribiles casus nostræ semper consulit felicitati.

Tum verò *Robinsoni* suppetiit ignis quem alere haud difficile fuit; nec ampliùs causa suberat, cur de vitæ salute in desertâ hâc insulâ esset sollicitus.

Venatio in posterum dilata est, quoniam placuit utilitatem statim ex igne capere; carnemque veru adhuc affixam apparare. Tum coqui ministerio functus ignem movet assamque sedulò versat . . .

Arboris] Conspexit partem arboris quæ disrupta et prostrata erat a fulmine.

Quam parum sapuisset] How foolish he had been.

Quop lurimum, &c.] Which of all things he most wanted.

Coqui ministerio functus] Performing the part of cook.

Movet] Stirs. *Assam*] The meat.

Quàm juvabat flammas micantes, tremulasque intueri! Pretiosisimum enim divini numinis munus ignem e cœlo sibi demissum interpretatus, cogitansque quantas inde percepturus esset utilitates, sæpiùs propter memoriam beneficii, oculos in cœlum vertit.

Tum verò rem unam *Robinson* desiderabat, scilicet sal quo carnem condiret; speravit autem se quòque processu temporis id commodi genus inventurum. Nunc ergò satis illi fuit littus petere ad aquam cocossæ putamine hauriendam; quâ quidem cùm nihil melius adesset, carnem tunc irrigavit.

Quantam verò conçeperit lætitiam, cùm primum ori suo frustum admovit, is tandem sibi fingere potest, qui per quatuor hebdomades continuas nihil ciborum ritè paratorum comederit, omnemque iis unquàm vescendi spem penitùs amiserit.

Summa erat *Robinsonis* felicitas; sed sensit sibi aliquid deesse, scilicet hominem quicum illam communicaret. Inest enim nobis quiddam ab ipsâ naturâ penitûs insitum, ut non alia res hominem

---

Quantas inde percepturus esset utilitates] What great benefits he should derive from it.

Cocossæ patamine] In the cocoa-nut-shell.

Frustum] A piece of the meat.

Ritè paratorum] Properly cooked.

Omnemque, &c] *Qui* penitus amiserit omnem spem unquam vescendi iis (*scil.* cibis ritè paratis.)

magis delectet, quâm si cum homine versari possit et colloqui. Natura quippe nihil solitarium amat, et si suppetant omnium rerum quas ipsa desiderat abundantia et copia, ereptâ hominis omninò aspiciendi potestate, nemo est tam ferreus qui id vitæ genus sustinere possit, cuique non auferat fructum voluptatum omnium solitudo. Heu! ait ille cum gemitu; o me felicem, si mihi contingat societas unius amici aut unius hominis vel miserrimi cujus mutuâ in benevolentiâ conquiescam! Si saltem adsit unum modo animal mansuetum, canis aut felis, quod beneficiis mihi devinciam! nunc autem mihi vivendum est prorsùs solitario atque ab omni animantium societate remoto. Hic lacrymis genæ maduerunt. Tunc recordatus est præteriti temporis quo puer adhuc, cùm posset jucundâ fratrum aut æqualium consuetudine frui, cum illis dissidia ac sæpè jurgia inierat, quorum nunc magnoperè eum

Versari] To be.

Si suppetant abundantia et copia] If there is abundance.

Ipsa] Natura.

Hominis omnino aspiciendi] Of seeing his fellow-mortals.

Cuique] And from whom.

Unius hominis vel miserrimi] Of any human being, though ever so poor.

Mansuetum] Tame. *Maduerunt*] Were wetted.

Inierat dissidia] He had disagreements.

pœnituit. Eheu, secum reputavit, equidem tunc temporis parùm intellexi, quanti amicus sit æstimandus quantoque aliorum hominum amicitia sit adjumento ad benè et beatè vivendum. O! si Deus mihi largiretur ut aliquandò repuerascerem, quantâ ego benevolentiá, quanto amore fratres meos aut æquales complecterer! O quàm lubenter leves illorum ferrem injurias, omniumque animos comitate et obsequio ad me allicerem! O me infelicem qui, quanti sit amicitia non antè didicerim quàm omnis spes illius unquàm fruendæ exciderit!

Has inter querelas oculis fortè in ostium tugurii conjectis araneam animadvertit, quæ telam suam in angulo quodam contexerat. Tantopere autem socio invento lætatus est, ut, qualis esset, minimè curaret; juvabat intueri quâ arte telam a medio texere incipiat, ac deinde fila immittat alia in rectum, alia in orbem, maculasque, paribus semper

---

Equidem] Ego quidem.

Quantoque adjumento] And how great a help.

Qui, &c] Ordo. Qui non didicerim quanti (of how much value,) sit amicitia, antequam omnis spes unquam fruendæ illius (that friendship,) exciderit.

Araneam] A spider.

Id rectum] Straight forward.

In orbem] In a circle.

Maculas] The meshes.

intervallis, indissolubili nodo adnectat, quæ minora animantia veluti retibus implicata teneant. Itaque non desiit ei bis in die muscas culicesque sufficere. Illa quòque tantam cum hospite familiaritatem contraxit, ut quoties hic telam tetigisset, illa specu progrediens, prædam ex herili manu acciperet.

Jam nox appropinquabat solque in aquis immergi videbatur. Oriens ex oppositâ cœli parte Luna radios in speluncam fundebat tanto *Robinsonis* gaudio ut ille aliquandiù somnum capere non posset. Tandem obdormivit, dum ignis, subjectâ materiâ, lentè alitur.

Non desiit ei sufficere] He did not fail to supply it with.

Ex herili manu] From its master's hand.

CAPUT SEPTIMUM.

Præda ingens.—Deest res maximè necessaria.—Vota irrita.—Ambulatio.—Natatio.—Res variæ.

ROBINSON, cùm solis æstus in insulâ interdiù esset fervidissimus, matutinum imprimis aut vespertinum tempus operi impendere solebat. Itaque primo mane surrexit, cùmque ligna super foco reposuisset, dimidiam cocossæ nucem, quæ de hesternis epulis reliqua erat, comedit. Quo facto, cum aliam Lamæ partem veru affigere vellet, carnem, jam putrescere, propter nimium calorem, sensit. Carendum igitur hodiè fuit voluptate quam ex edendâ carne percepisset.

Deinde humeris perâ venatoriâ cinctis, ad littus se contulit, ostreas collecturus. Ibi verò pro ostreis, quarum mira paucitas erat, aliud alimenti genus *Robinsoni* contigit invenire, quod certè uti-

Interdiù] During the day.

Quæ de hesternis epulis reliqua erat] Which remained of yesterday's dinner.

Carendum fuit] He was obliged to go without.

litate ostreas vinceret; animal cui tectum ipsa composuit natura, quod secum quòcumque libuerit gestat, testudinem nimirùm, tantâque illam magnitudine quantâ in his regionibus rarò reperiunt; quippe librarum ferè quinquaginta pondus æquabat.

Sæpè *Robinson* audierat carnem testudinis jucundam esse eamdemque salubrem. Prædam igitur humeris impositam *Robinson* lentè domum deportat. Tum securi suâ inferiorem partem conchæ percutit repetito ictu, donec frangeretur; et sic testudine potitus, opimam ejus partem assandam resecuit. Quam cùm veru affixisset, ut magnam famem laborando contraxerat, vix expectare potuit donec esset ritè cocta.

Interim dum sedet assam versans, secum reputat quid de reliquâ testudine sit faciendum, ne putredine corrumperetur. Ad illam enim muriâ condiendam et patinâ et sale carebat. Quomodo se inde expediat?

Ægrè enim prævidit egregiam illam testudinem,

Cui tectum ipsa composuit natura] For which, nature herself has constructed a house.

Tantaque illam magnitudine quanta] And it was of such a size as.

Æquabat] It weighed.

Opimam ejus partem] The choicest part of it.

Muriâ] Brine.

Quomodo, &c.] How is he to help himself in this difficulty.

quæ sibi vel octo et ampliùs dierum victum præbuisset, posterâ die putridam fore; neque tamen animum subiit quâ ratione illam condiret. Ac subitò hæc ei cogitatio in mentem venit. Superior testudinis crusta mactræ similitudinem aptissimè referebat. Hæc erit, ait ille secum, pro patinâ. Unde autem salem petam? O me stupidum! ait, fronte simul percussâ. Nonne mihi est in potestate carnem aquâ marinâ irrigare, quæ quidem idem prorsùs aut fere præstabit ac si sale esset condita? Optimè, egrègiè, iterùm iterùmque exclamat, atque ille lætitiâ gestiens veru celeriùs versare.

Et nunc caro ritè assata est. Cùm esculentum quoddam ejus frustulum gustâsset, ah! si modo, ait ille suspirans, fragmentum panis vel minutissimum mihi nunc contingat! Quàm stultus ego fui, qui puer non intellexerim quantum Dei erga homines beneficium panis sit! Tunc temporis, ut satis mihi fieret, addendæ erant aliquæ deliciæ. O utinam nunc mihi adsit fragmentum quodlibet panis illius quem tunc ad canem nostrum horti custodem projiciebam! Quàm me felicem nunc prædicarem!

Subiit animum] Did it come into his mind.

Mactræ] A kneading trough.

Esculentum quoddam frustulum] A small piece of the meat.

Tunc temporis] Then.

Ut satis mihi fieret] Ut satisfieret mihi, to please me.

Prædicarem] I should say I was.

Robinson igitur quàm lautissimè posset epulatus est. Deinde, fervidissimo diei tempore, paululùm in strato recubuit, ut secum meditaretur quodnam potissimùm opus susciperet, cùm remisso calore liceret operam in aliquid conferre.

Quid nunc priùs agam? optimum erit ad venandos aliquot lamas proficisci. Quid autem proderit tanta carnis copia? Cùm sic secum reputaret, incidit in cogitationem novam, cunctisque prioribus longè præstantiorem. Scilicet animalia quædam domestica cicurare et mansuefacere decrevit quæ sibi victum simul et societatem præstarent. Lamæ autem cùm jam mansuetissimi generis viderentur, speravit fore ut facili negotio nonnullos ex iis vivos exciperet. Statuit funiculum ita aptare ut esset pro laqueo, tum autem post arborem insidiari, et Lamæ capiti, qui primus appropinquaret, laqueum injicere. Hâc mente funem satis crassum contorquet; atque intra aliquot horas cuncta confecta sunt. Tum non semel omnia expertus, vidit rem benè fore.

Quoniam verò locus ille quà Lamæ ad aquam devenire solebant satis remotus erat, nec constabat

---

Potissimùm] First of all.

Cicurare et mansuefacere] To tame, or render domestic.

Pro laqueo] For a snare, a gin.

Non semel] More than once.

Nec constabat] Nor was it certain.

num unoquoque vespere eò venturi essent, re ad crastinam diem dilatâ, interim cætera ad iter faciendum necessaria paravit. Tum resecto testudinis frusto quod et vespertinæ et crastinæ cœnæ sufficeret, reliquam partem aquâ marinâ irrigavit.

Quo facto foveam mediocrem in solo fodit, quæ sibi ad tempus cellæ vicem prætaret; atque in eâ concham testudinis carne repletam condidit, ostio cellæ intexis ramalibus occluso.

Reliquum a meridie tempus jucundæ ambulationi impendit ut animum recrearet; quam ob causam ad littus maris se contulit, unde suavis aura spirabat quâ aeris æstus paululùm temperabatur. Ibi dum secum spatiatur, valde delectatus est aspectu maris immensi cujus plana facies fluctibus sese invicem leni lapsu pellentibus vix crispabatur. Hic animo affectus, oculos in eam terrarum partem convertit in quâ sita erat cara sibi patria, cùmque hæc optimorum parentum memoriam desideriumque renovarent, nonnullæ obortæ sunt lacrymæ.

Unoquoque vespere] Every evening.

Cellæ vicem præstaret] Would do instead of a cupboard.

Intextis ramalibus] With small branches woven together.

Dum secum spatiatur] While he is walking up and down by himself.

Pellentibus sese invicem fluctibus] By the waves chasing one another.

Vix crispabatur] Was scarcely ruffled.

Atque sic obambulanti venit in mentem sibi non male fore si corpus abluneret, ad squalorem detergendum. Vestem igitur deposuit. Ut verò stupuit aspecto indusio quod unicum habebat! Quoniam in regione tam calidâ nunquam illud exuerat, vix cerni poterat linteum albi coloris olim fuisse.

Primò igitur statuit sedulò indusium lavare. Quo quidem ex arbore suspenso, ipse in aquam desiliit.

Cùm autem puer natandi artem didicisset, placuit ex eo loco ubi in aquam descenderat natando pervenire ad tractum quemdam terræ satis longo spatio in mare procurrentem, quem nondum adierat.

Illud quòque *Robinsonis* nostri consilium faustissimum fuit. Vidit nimirum hunc terræ tractum aquis subeuntibus inundari, recurrentibus verò magnam copiam testudinum, ostrearumque in sicco destitui.

Maris ille locus quem *Robinson* circumnatavit, adeò piscibus abundabat ut ferè manibus capi possent. Quòd si reticulo instructus fuisset, multa

---

Squalorem] Dirt.

Quod unicum habebat] Which was the only one he had.

Aquis subeuntibus] When it was high water.

Destitui] Were left behind.

facilè cepisset millia. Hoc autem adhuc carebat. Cùm tamen omnia suscepta prosperè ei hactenus cessissent, speravit fore ut aliquandò piscatorium rete sibi conficeret.

His rebus jucundissimis lætus *Robinson* ex aquâ emergit, cùm horam ferè integram natando consumpsisset. Indusium quoque aeris calor penitùs siccaverat; tum ille voluptate lintei mundi induendi fruitur.

Cùm verò nunc consuevisset cuncta attentè meditari, cogitavit hanc voluptatem non fore diuturnam, si quidem hoc unico indusio sibi nunc utendum esset, quo semel attrito nulla suppeteret ratio quâ aliud compararet. Quæ cogitatio gaudium mœrore miscuit. Attamen animo mox confirmato, domum reversus est, cœnam sumpsit, cùmque Deum piè oravisset, placidè se in lecto composuit.

Omnia suscepta hactenus] Every thing which he had hitherto undertaken.

Lintei mundi induendi] Of putting on clean linen.

Nulla suppeteret ratio] There would be no means.

CAPUT OCTAVUM.

Lama *mansuefacta.—Pulli.—Res variæ.*

Postero die *Robinson* primâ luce surrexit, atque ad venandum se accinxit. Assumptis igitur tuberibus solanorum assatis, idoneoque testudinis frusto foliis involuto, securi instructus et laqueo quem pridiè ad lamas irretiendas confecerat, umbellamque manu tenens in viam se contulit.

Summum adhuc mane erat. Constituit igitur paululùm a rectâ viâ deflectere ut alias quoque insulæ partes exploraret. Innumeras inter volucres, quæ arboribus insidebant psittacos miris coloribus pictos conspicit. Ut ille optabat unum ex iis capere, quem mansuetum atque socium sibi faceret! Adulti verò callidiores erant quàm qui caperentur; pullorum autem nidum nusquàm vidit.

Cùm autem collem quemdam mari vicinum ascendisset, conjectis inde oculis inter rupium hiatus, aliquid conspexit quod placuit propriùs cernere.

Tuberibus solanorum] Potatoes.
In viam, &c.] Began his journey.
Summum mane] Very early.
Psittacos] Parrots.
Adulti] The old birds.

Descendit igitur et magnâ cum voluptate animadvertit esse . . . sal. Hactenus quidem pro condimento adhibuerat aquam marinam, quæ tamen commoditas salis præstantiam non æquabat. Aquæ enim marinæ sapor habet multùm amaritudinis. Temerè quòque ille putaverat carnem aquâ marinâ conditam sanam atque incorruptam servari posse, siquidem non minùs putrescit quàm aqua e fluviis aut fontibus hausta, ubi illa motu caret. Valdè igitur ei profuit genuinum sal hîc repertum; itaque ambas ille peras eo complevit, quod statim domum deportaret.

Lætus deinde *Robinson* eum petiit locum ubi lamam se excepturum sperabat. Recubuit sub arbore, horam expectans quâ solebant transire, atque intereà carne assâ et tuberibus epulatus est; quibus quidem, addito sale, sapor nunc erat longè jucundior.

Sub finem prandii, ecce lamas accurentes e longinquo prospicit. Confestìm *Robinson* stans in insidiis, expectat donec appropinquarent; nonnulli jam præterierant, sed extra captum; cùm ecce unus ex illis tam propè accessit ut ejus collo laqueum injecerit. Qui cùm balare conaretur, *Robinson*, ne

---

Salis præstantiam, &c.] Was not so good as salt.
Siquidem] Seeing that.
Ubi illa motu caret] When it is not in motion.
Stans in insidiis] Waiting in ambush.
Extra captum] Out of his reach.

cæteros deterreret, laqueum ita contraxit ut vox hæreret faucibus. Tum eum celeriùs in dumeta abreptum e conspectu cæterorum removit. Capta Lama duorum pullorum mater erat. Quiquidem magno *Robinsonis* gaudio matris vestigia secuti, hominem minimè timere visi sunt. Dum illos *Robinson* demulcet, isti manum ejus lambunt quasi orarent ut matrem dimitteret.

Robinson igitur, voti compos, captivam quamvis reluctantem, omni vi connisus, secum abstraxit, brevissimamque viam ingressus tandem feliciter domum revertitur.

Nunc ut hospites commodè exciperet cœpit stabulum extruere atrio suo contiguum; securi nempè lapideâ teneras arbores excidit, quas ita denso ordine conseruit, ut parietem satis validum objicerent. Lama quam alligaverat arbori, fessa recubuerat; pulli autem captivitatis suæ nescii jacebant, matris ubera sugentes.

O pergratum *Robinsoni* nostro spectaculum! Iterùm atque iterùm constitit, carissimum pecus intuens, seque ipsum beatum prædicavit quòd nunc animantes quosdam socios haberet. Jam sibi visus est vitam solitariam non ampliùs degere; unde

---

Ita contraxit] Pulled so tight.

Ut vox hæreret faucibus] That it could not make any noise.

Voti compos] Having obtained his wish.

Ubera sugentes] Sucking the teats.

tantam voluptatem cepit, ut viribus novis auctus, brevì stabulum inchoatum perficeret. Tum lamâ cum pullis ibi inclusâ, ostium densis fruticibus sepsit.

Quantam nunc lætitiam expertus est! Etenim præter jucundissimam istorum animalium societatem multa alia maximaque commoda inde speravit. Neque hoc frustrà. Poterat aliquandò discere quâ arte ex eorum lanâ vestem sibi conficeret; poterat eorum lacte vesci, atque butyrum cum caseo inde parare.

Una res ejus felicitati deerat. Optabat nimirùm ut intra unum et eumdem parietem cum grege carissimo habitaret, quem semper haberet ante oculos, quoties domi commoraretur. Rem itaque diu multumque in animo versavit. Tandem, cùm minimè laboris pigeret, statuit alteram domicilii partem diruere, novamque capaciorem exstruere, quâ atrium ipsum aliquantulùm amplificaretur. Ut autem, dum esset in novâ sepe serendâ occupatus, tutus ipse habitaret, prudenter statuit veterem non priùs evellere quàm nova fuisset confecta; atque tanta fuit *Robinsonis* assiduitas, tanta diligentia, ut

---

Poterat aliquandò] He might be able some time or other.

Cùm minimè laboris pigeret] As he by no means grudged his labour.

In novâ sepe serendâ] In planting his new fence.

Non prius, &c.] Non evellere veterem priusquam, &c.

opere intra paucos dies perfecto, jucundissimâ trium sodalium societate gauderet.

Lama etiam cum pullis societati *Robinsonis* brevi assuevit. Domum enim redeunti obviam subsultantes veniebant, odorantes an fortè aliquid deliciarum attulisset, manumque lambentes, quasi gratias acturi pro gramine aut surculis ab ipso acceptis.

Tum pullis paulatim a matris lacte desuefactis, cœpit ipse bis quotidie illam mulgere; vasculorum vicem ei præstabant putamina cocossæ, lactisque usus modò dulcis, modò coagulati, solitudinem ei longè jucundiorem fecit.

Cùm arbor cocossæ tot tantasque utilitates ei præberet, illam propagare magnoperè cupiit. Quomodò autem hoc efficeret? Audiverat ille quidem arboribus ramulos inseri posse; nunquam tamen hanc artem discendam curaverat. Tum sæpiùs ingemuit: Eheu! quàm levis in pueritiâ fui, qui omnibus ad doctrinam adjumentis uti noluerim! Si mihi meliùs consuluissem, nonne attendissem ad ea quæ tum oculis, tum auribus meis subjicie-

---

Desuefactis] Weaned.

Vicem ei præstabant] Served him instead.

Dulcis] New, fresh. *Coagulati*] Curdled.

Audiverat, &c.] He had heard that young sprouts could be engrafted on trees.

Uti noluerim] Would not use.

bantur? O si mihi repuerascere liceret, quantâ ego curâ, ad omnia quæ hominum solertiâ et labore perficiuntur, animum adverterem!

Robinson igitur ut optatum finem assequeretur, nullam aliam rationem vidit, quàm si e nucibus ejus nonnullas sereret. Hoc ergo facere constituit, quanquàm cibi adeò suavis et rari jacturam ægrè ferebat. Nec multò post magnâ cum voluptate erumpentia quædam animadvertit semina, quæ tepefacta vapore mirum in modum adoleverunt.

Lama mater pullique brevi eamdem mansuetudinem induerant quâ canes nostri esse solent. Hos itaque cœpit ad usus suos adjungere, iisque jumentorum loco commodè uti, quoties aliquid grave aut supra vires hominis vehendum erat.

Jam pridem *Robinson*, cùm esset in otio, animadverterat quantæ sibi foret utilitati, si artem corbium texendarum intelligeret. In pueritiâ autem suâ adeò istam artem despexerat, ut nullum unquam corbium opificem attentiùs considerâsset; quo factum est, ut hujus artis, quamvis per se facilis sit et obvia, æquè ac cæterarum artium, esset omninò rudis.

Quàm si sereret] Than by sowing.
Erumpentia] Sprouting up.
Corbium texendarum] Of making baskets.
Despexerat] Had paid so little attention to.

Cùm autem in umbellâ texendâ satis felix fuisset, subinde in posterum huic quoque artificio otium impendit; atque usu diuturno solertior factus, idoneam tandem corbem confecit: cùmque duas ejusmodi texuisset, junctas funibus Lamæ dorso imposuit.

Subinde] Every now and then.
In posterum] From this time.

CAPUT NONUM

Terræ motus.—Mons ignivomus.—Lamæ vi aquarum abrepti.—Spelunca Robinsonis *diruta.*

Sequente nocte, *Robinson* securus recumbebat; fideles Lamæ ad pedes domini jacebant; Luna splendebat de cœlo, aere puro tranquilloque, omnia denique in rerum naturâ alto silentio tenebantur. Jamque *Robinson* labore diurno fessus, dulci fruebatur somno; parentum verò imago, quæ crebrò recursabat, ante oculos sòmniantis obversabatur; cùm subitò terra insolito motu tremuit, tanto fragore tamque horribili mugitu, ut multæ tempestates velut agmine facto ingruere viderentur. Insequitur frequens terræ motus, alius alium; exoritur simul furens procella quâ arbores, quâ ipsæ dejiciuntur rupes, mareque cum fremitu æstuans in imis sedibus conturbatur. Dixisses cuncta inter se prœliari elementa, atque universam rerum naturam in exitium ruere.

Recursabat] Returned to his mind.
Obversabatur] Presented itself.
Terræ motus] An earthquake.
Alius alium] Alius terræ motus insequitur alium.

Robinson mortis angore correptus e speluncâ in vestibulum prosilit ; prosilientemque exterriti Lamæ sequuntur. Vix inde aufugerant, cùm saxum in quo spelunca erat, ruinam dedit. *Robinson* cui timor alas addiderat, per ostium vestibuli se proripuit, Lamis anxiè eum insequentibus.

Primùm autem eam petiit montis vicini partem quâ excurrebat in nudam planitiem, ne arboribus ipse concidentibus obrueretur. Quò tendens, subito magno cum terrore ingentem hiatum eâ ipsâ montis in parte videt unde erumpunt fumus, flammæ, favillæ, lapides cum materiâ candenti quam *Lavam* appellant. Vix etiam fugâ morti se eripuit ; quippe *lava* candens, torrentis instar, ruebat ; magna autem montis fragmina, hinc et inde disjiciebantur.

Tum ad littus procurrit, ubi ipsum nova horrendaque rerum forma excipit. Turbo vehementissimus ab omni cœli parte nimbos collegerat quasi alios aliis impositos, undè tam gravis aquæ vis subito ruit, ut omnis regio aquis superfusis inundaretur.

Prosiliit] Rushed out. *Ruinam dedit*] Fell down. *Quâ excurrebat in nudam planitiam*] Which extended itself into a bare plain ; which was flat and free from trees.

Excipit ipsum] Surprizes him.

Alios aliis impositos] One upon another.

Tum *Robinson* in hâc malorum ambage, quid fugiat, quid petat incertus, ægrè in arborem se recipit; miseri autem Lamæ undarum æstu abripiuntur; Eheu! quàm graviter illorum ejulatu animus ejus vulneratur! Quàm vellet suo eos periculo servare, nisi fluctuum impetu longiùs abrepti fuissent!

Sæviit terræ motus adhuc paululùm; tum repentè omnia silent, venti residunt, hiatus ignem evomere desinit, fragor subterraneus cessat, cœlo redit pristina serenitas, omnis etiam aqua exiguo temporis spatio effluit.

Robinson ex arbore in quam perfugerat, descendit; sed animum curæ obruerant. Spelunca quæ sola huc usque tutum ipsi refugium præbuerat, diruta penitùs videbatur. Lamæ fideles carissimique ante ipsius oculos undis abstracti, omnia opera periêre; periêre omnia quæ in futurum moliebatur consilia. Mons quidem flammas evomere desierat, sed ex hiatu tardus fumus aterque oriebatur, unde metuendum erat nè ille *montis ignivomi* naturam in posterum quoque retineret.

Tum anxietate et angore exhaustus ad arborem

Quid fugiat] What he should avoid.
Suo periculo] At his own risk.
Obruerant] Had overwhelmed.
Quæ moliebatur consilia] The plans he was forming.

ex quâ descenderat se reclinavit gemitus edens miserabiles; et sic solatii expers per reliquam noctem remansit.

Jam dies novus oritur, lux autem alma miserum *Robinsonem* in eodem statu deprehendit. Neque enim somnus dulcis oculos ejus clauserat; neque animum subierat alia cogitatio præter tristem illam luctuosamque: Quid nunc de me fiet?

Tandem se corripit atque somnianti similis ad vastatum domicilium titubans procedit. Quantam verò putatis fuisse ejus lætitiam cum haud procul a vestibulo carissimos sibi Lamas salvos incolumesque obviàm sibi prosilientes conspexit! Initio, suis fidem oculis vix habuit. Brevi autem sublata est omnis dubitatio; illi enim accurrere, manum herilem lambere, lætitiamque quam ex ejus reditu capiebant exultando et balando exprimere.

Tunc autem animus *Robinsonis* hactenus fractus dejectusque, rursùs erectus est. Lamas suos intuetur, oculisque in cœlum sublatis, lacrymas lætitiæ pietatisque testes profundit. Tum amicos reduces lætissimis blanditiis excipit, iisque comitibus procedit, certiora de domicilio visurus.

Edens] Uttering, pouring forth.

Titubans] With a faltering step.

Fidem vix habuit] Scarcely believed

Certiora visurus] Going to inform himself with more certainty.

Atque ibi *Robinson* multo minûs damni invenit quàm primò præ metu et animi abjectione veritus erat. Laquear, quod saxo constabat, erat collapsum, atque proximam terræ molem secum traxerat: attamen omnia ista rudera e speluncâ removeri posse videbantur, ita ut laxiùs ipse commodiùsque habitaret.

Ad hoc accedebat aliquid ex quo intelligeret hoc sibi feliciter contigisse. Cùm enim accuratiùs locum inspexisset ubi saxum illud dependerat, magno cum stupore cognovit, illud undique solo molli innixum fuisse, adeò ut male hæreret. Verisimillimum itaque erat, molem hanc impendentem suo pondere brevi delapsuram fuisse. Tunc subitò in genua prostratus gratias Deo egit quod sic iterùm servatus fuisset, ac deinde alacriter ad opus se contulit.

Laquear] The roof.

Constabat] Consisted of.

Collapsum] Fallen in.

Solo molli innixum fuisse] Had been supported by soft earth.

Molem hanc impendentem] This overhanging mass.

CAPUT DECIMUM.

Robinson *habitaculum reficit.—Parat sibi alimenta in hiemem.—Imbribus continuis impeditus domi, fingit vasa.—Nectit rete.—Arcum et Sagittas conficit.*

Terram profectò arenamque haud difficile erat removere; supererat autem ingens saxum fractum in duas partes, sed quibus movendis unus homo impar videbatur. Conatus est *Robinson* partem ejus quæ minor erat provolvere, sed frustrà; et nunc iterùm desperatione torpens, hæsit inops consilii.

Postquam diù secum meditatus fuit, recordatus est se puerum vidisse, quoties operariis aliquid magni ponderis erat moliendum, perticâ eos longâ crassâque uti cujus extremam partem moli movendæ subjiciebant. Itaque ejus rei experimentum facere properat. Elapsâ vix horâ dimidiâ, saxa quæ vix quatuor homines junctis viribus movere

Quibus movendis] To move which.

Inops consilii] Not knowing what to do.

Quoties operariis erat moliendum] As often as labourers had to move.

Perticâ] A pole or lever.

potuissent, e speluncâ feliciter extracta sunt, moxque lætus admodùm vidit domicilium suum et laxius et tutius esse quàm anteà. Jam enim parietes non minùs quàm laquear ipsum saxo constabant, nec vel minima quidem rima perspiciebatur.

Tunc ad montem ignivomum qui vaporem atrum emittere nondùm desierat, propiùs accedere audet. Miratur ingentem saxorum liquefactorum copiam quæ longè latèque diffusa necdum etiam refrigerata erant. Cùm animadvertisset *lavam* ad eum locum effluxisse in quo solana crescebant, magnoperè timuit ne torrens igneus totam istam regionem vastâsset. Itaque cùm eò se contulisset, magno cum gaudio cuncta bene se habere deprehendit. Et continuò statuit variis in partibus insulæ suæ solana serere, ne fructum tam egregium sinistro aliquo casu amitteret.

Interim cùm mons fumum emittere desiisset, *Robinson* ad ejus hiatum accedere ausus est. Latera quoque et imam partem ejus *lavâ* refrigeratâ opertam invenit: cùmque nusquàm vel minimum inde oriri fumum videret, non sine probabili causâ existimavit ignem subterraneum penitùs exstinctum, neque in posterum sibi ejusmodi eruptionem esse

---

Laxius] More roomy.

Necdum etiam refrigerata erant] And which had not yet got cold.

Cuncta bene se habere] All was right.

Opertam] Covered.

extimescendam. Quâ spe confirmatus, ad alimenta in hiemem colligenda animum convertit. Hoc consilio, octo Lamas subinde eodem modo cepit quo priores. Istos omnes mactavit, excepto hirco, quem socium tribus suis Lamis cicuribus adjunxit, maximamque carnis partem supra focum suspendit, quæ fumo siccaretur.

Jam igitur non contemnendam copiam carnis sibi paraverat. Nihilominùs tamen veritus est ne sub finem hiemis, si fortè asperior futura esset aut longior, inopiâ ciborum ipse laboraret. Itaque nonnullos etiam Lamas capere optavit. Illi verò insidiis hominis cognitis cavere sibi didicerant. Novis igitur utendum fuit artibus quibus illos exciperet. Neque hoc ei non successit; Tanta ingenii humani vis esse solet ad excogitandum quidquid valet ad necessaria sibi comparanda! Animadverterat nimirùm Lamas, quoties eum ad fontem conspexissent, semper celerrimè per collem quemdam ad arbusta properare. Hujus collis pars altera dumetis cincta: altera autem prærupta duarum ferè ulnarum altitudine, unde lamæ saltu se dejicere solebant.

Statuit igitur foveam altam eo loco fodere in

Cicuribus] Vide page 57, note.

Ad excogitandum] In finding out.

Quidquid valet] Whatever is of service.

Altera autem prærupta, &c.] The other side of the hill was steep and craggy.

quâ lamæ desuper prosilientes caperentur. Labore quoque indefesso intra paucos dies novum hoc opus confectum est. Tum foveam virgultis texit. Posterâ autem die magnoperè lætatus est, cùm duo ejus generis animalia in eam desiliisse animadvertit. Quibus captis, tantam habuit carnis copiam, quanta per hiemem quam longa foret, abundè sufficeret. Tum ut cuncta provideret contrà hiemem quam instare putabat, fœnum Lamis parandum, ligna ad ignem fovendum colligenda, solanorum tubera effodienda, eademque in cellâ condenda erant. È fœno cujus magnam copiam collegerat, acervum struxit, qualem agricolæ nostri struere solent. Quoties vero fœnum addebat, illud ita pedibus impressis conculcabat ut haud facilè pluviâ posset interlui. Insuper ut magis etiam imbribus defenderetur, tectum ex arundinibus confecit, haud infirmius iis quæ culmo apud nos teguntur. Dies proximos ligna arida colligendo impendit. Tum tubera solanorum effodit, nec parvam eorum paravit copiam. Quibus in cellâ conditis, decussit quòque omnia mala citrea quæ matura erant; jamque de suo victu minimè fuit sollicitus. Hiems verò, licet exacto mense

---

Desuper prosilientes] Leaping down.
Haud posset interlui] Could not be penetrated.
Tectum ex arundinibus A covering of reeds.
Culmo] With thatch.
Exacto] Was finished]

octobri, nondùm venerat. Cœpit potiùs continuis imbribus ita pluere, ut aer in aquam mutatus videretur. Nec satìs liquebat *Robinsoni* quænam hujus rei esset causa. Quindecim dies elapsi erant, ex quo non longiùs domicilio suo progressus fuerat quàm ad cellam, ut alimenta et aquam sibi lamisque peteret. Reliquum tempus omne veluti captivo homini degendum fuit.

Eheu! quàm tardè tempus nunc *Robinsoni* trahi visum est, nihil agenti, et solitario! Nunc perspexit quàm vera essent quæ sæpiùs magistri præceperant, eas opes esse parandas quæ unà cum naufrago possint enatare.

O me in pueritiâ stultum, exclamavit, qui scribere aut legere molestum, otiari verò jucundum existimaverim! O utinam quas olim aspernatus sum doctrinas memoriâ tenerem! Ex hoc penu domestico nunc depromerem quod esset non solum vitæ oblectatio, sed etiam levamentum miseriarum.

Cujus otii pertæsum necessitas coegit ut varias res gerendas susciperet quas nunquam anteà tentaverat. Jam diu consilium ollæ aut lampadis fabri-

---

Parandas] To be laid up.

Quæ unà cum possint enatare] Which should able to escape with one even when shipwrecked.

Penu domestico] Domestic store, viz. learning.

Pertæsum] Robinsonem pertæsum.

Ollæ] A pot to boil meat in.

candæ animo agitaverat, quibus quidem auctus, in meliori sanè conditione versaretur. Itaque, quamvis plueret, terram argillaceam studiosè conquisivit, opusque orsus est.

Quodquidem certè non statim ei ex voto cessit. Iterùm iterùmque tentandum fuit; cùm autem nihil haberet in quo lubentiùs versaretur, placuit opus licet absolutum, quoties mendosum aliquid animadverteret, frangere ac denuò fabricare. Sic igitur dies nonnullos grato in labore transegit, donec tandem ollam fictilem cum lampade penitùs absolvisset. Quas non procul ab igne collocavit ut paulatim arefierent. Tum alias etiam ollas, cacabos catinosque variâ formâ atque magnitudine fingere instituit; atque ut ille plurimùm operæ in his artibus posuit, ita maximam solertiam adeptus est.

Magnum opus fuit ac difficile fictilia vasa *vitro ita incrustare*, ut liquore non imbiberentur. Sed cùm nihil intentatum, nihil inexpertum relinqueret, vicit patientia.

Interea pluere non desiit. Quamobrem necesse

Terram argillaceam] Clay.

Lubentiùs versaretur] He could be more pleasantly employed.

Mendosum aliquid] Any fault in it.

Cacabos] Saucepans. *Catinos*] Dishes.

Vitro ita incrustare] To glaze.

fuit *Robinsoni* varia adhuc fingere opera, ne miserè tædio conficeretur. Proximè autem operam nectendo reti piscatorio navat. Jam anteà non parvam copiam funiculorum contorserat, quæ nunc ipsi fuit maximè opportuna. Cùm enim otio abundaret et patientissimus laboris rem decies et ampliùs male inceptam retractaret, invenit tandem quâ arte nodos faceret; in quo adeò solers evasit, ut fœminas puellasque apud nos reticula nectentes dexteritate æquaret.

Tum venit ei in mentem tentare, num arcum et sagittas posset conficere. Quanto studio animus *Robinsonis* flagravit, cùm hæc secum agitans multa recenseret commoda quæ inde esset percepturus! scilicet Lamas interficere, aves dejicere, et quod erat potissimum, se ipsum in domicilio defendere posset. Itaque tanta eum incessit cupido arcûs perficiendi ut pluvium cadentem parum curans, ad conquirendum lignum procurrerit. Cui tamen consilio cùm quodlibet lignum aptum non existimaret, ejusmodi quæsivit quod durum idem ac

---

Navat operam] He labours.
Retractaret] Did over again.
Quanto studio] With how great desire.
Recenseret commoda] He counted the advantages.
Cui consilio] For which purpose.
Quodlibet] Any kind of.

lentum esset ut et facilè flecteretur, et in pristinam ferè formam rediret.

Tale ergo lignum inventum atque decisum domum deportat, confestimque opus aggreditur. Quàm verò tunc sensit inopiam cultri idonei! Quamvis iterum iterumque secaret, vix tantum profecit quantum nos cultris chalybeis instructi uno ictu proficimus. Quanquam ab ortu usque ad occasum diei operi intentus erat, necesse fuit ut octo dies integros huic labori impenderet. Tandem magnoperè ille lætatus est, cùm arcum nono die perfectum vidit; neque tunc præter nervum et sagittas quidquam desiderabat. Cùm verò funem quàm firmissimum contorsisset, ad sagittas fabricandas se accinxit.

Jam si ferrum habuisset quod sagittis præfigeret, quanti, quæso, hoc æstimâsset! Frustra autem in votis illud habuit. Dum igitur rem mente agitat, tandem meminit se audiisse homines feros ossibus magnorum piscium aut silicibus acutis uti ad sagittas hastasque acuendas. In quo illos statuit imitari. Consilium quoque iniit hastæ conficiendæ. Quod utrumque statim agressus, ad littus accurrit,

---

Et in pristinam, &c.] As bows do when unstrung.
Quantum, &c.] As we with our steel knives.
Nervum] The string.
Consilium iniit] He deliberated.

ibique ossa piscium, lapidesque aptissimos invenit. Tum perticam longam et rectam hastæ destinatam amputat pluviâque madidus domum revertitur. Intra paucos dies et hasta, et sagittæ confectæ sunt. Tum hastam præfigit lapide præacuto, ac deindè sagittas hinc ossibus piscium robustis, inde pennis ad extremam partem additis, alites facit. Quo facto placuit arcûs experimentum facere. Quiquidem, quanquam multa deerant, quòd ferreis instrumentis non fuerat instructus, attamen satis idoneus visus est dejiciendis avibus, minoribusque aliis animalibus. Neque dubitavit fore ut hominem ferum nudumque, si quidem satis appropinquâsset, eo graviter esset vulneraturus.

Attamen pluvia nondum cessaverat, sed duobus tandem elapsis mensibus cœlum cœpit nitescere. Nunc *Robinson* hiemem adventare putavit, cùm jam contrà hiems exacta esset; vix suis ille oculis

---

Tum hastam præfigit lapide acuto] i. e. Præfigit hastæ lapidem acutum. He fixed a sharp stone to the end of the spear. The construction is similar to that of Virgil, Geor. . . . . Præfigunt ora capistris.
i. e. Præfigunt capistra oribus.

Hinc] At one end. *Inde*] At the other end.

Alites] Swift.

Eo] Eo arcu.

Exacta esset] Was finished.

fidem habuit, cùm almâ veris vi nova gramina, novos flores, novos surculos emergentes cerneret. Etsi causam non intelligebat, res tamen erat ante oculos. Hoc profectò, ita se ipse alloquitur, me in posterum monebit ne quidquam rejiciam, cujus rationem animo perspicere nequeam.

Alma veris vi] From the benign influence of the spring.

CAPUT UNDECIMUM.

Summæ Robinsonis *miseriæ.—Ab insectis infestatur.—Vestes ex pellibus sibi conficit.—Incidit in gravem morbum.*

Attamen multum aberat ut *Robinson* omnia haberet quæ ad victum cultumque vitæ requiruntur. Omnes ejus vestes usu diuturno contritæ diffluebant, nec satis videbat quâ ratione novas sibi conficeret. Cui quidem non tam contra frigoris vim vestibus opus erat quàm ut se ab insectis defenderet, quibus insula abundabat. Quorum morsibus *Robinson* excruciabatur, tumidis ferè semper manibus genisque. Quanti porrò dolores eum manebant, vestibus omninò laceratis! Atque hoc erat in proximo.

Ad hanc calamitatem accedebat quòd parentum societatisque humanæ desiderio animus ejus sæpè teneretur. Quam ob rem non semel ingemuit,

Diffluebant] Were dropping in pieces.
Tumidis] Swollen.
In proximo] At hand would soon happen.
Teneretur] Was afflicted.

cùm e littore oculis madidis et languentibus oceani circumspectaret immensitatem, neque aliud præter aquam, præter cœlum conspiceret. Quoties animus ejus dubiâ spe pendebat, cùm e longinquo prospiceret nubeculam ex æquore quasi emergentem, quam sibi cogitatione navem malis velisque instructam fingebat. Cùm verò errorem suum animadverterat, quanto luctu, quantâ animi ægritudine oppressus domum revertebatur!

Veritus autem ne navis aliqua insulùm præterveretur aut etiam apud eam anchoras jaceret, cùm ipse in littore non adesset, in tumulo quodam eminente signum erigere statuit, quo appellentibus suam calamitatem indicaret. Stabat pro signo tignum ex quo indusium, ut erat omninò attritum, suspenderat; verba quòque palo inscribere vehementer optavit quibus miseram suam conditionem apertiùs significaret. Quâ verò ratione? Nulla alia erat in potestate, nisi ut litteras cultro lapideo insculperet: quânam autem linguâ?

Si enim Gallicum vel Anglicum sermonem usurpâsset, fieri poterat ut navis Germanica, aut His-

---

Cogitatione] In his thoughts.

Apud eam] Within sight of the island; or, in the sea phrase, Off the island.

Appellentibus] To those landing.

Tignum] A long pole.] *Palo*] On the pole.

pana, aut Lusitana appelleret, in quibus nemo navigantium significationem verborum intellexisset. Fortè nonnullas voces latinas recordatus est quibus votum suum exprimeret.

Linguam enim latinam cuncti Europæ populi tenent, et plerique eorum qui liberaliter instituti sunt, aliquam certè ejus partem intelligunt. Propterea *Robinson* speravit fore ut in quâlibet navi quæ eò deferretur unus saltem reperiretur inscriptionem istam interpretaturus. His autem verbis constabat:

Ferte opem misero Robinsoni.

Sic illi nonnihil profuit verba aliquot latina meminisse.

Jam inopiâ calceorum et tibialium *Robinson* maximè laboravit. Istis scilicet sensim omninò dilaceratis, muscæ nudos ejus pedes stimulis fodiebant iisque pungebant doloribus qui vix tolerari possent. Quoties sedit meditabundus ut excogitaret rationem aliquam corporis tegendi! sed frustra. Carebat enim instrumentis et arte ad finem assequendum necessariâ. Tandem pellibus lamarum

---

Aliquam ejus partem] Something of it.

Constabat] It consisted.

Fodiebant stimulis] Pierced with their stings.

Iisque pungebant doloribus] Put him to so much pain.

Ad finem assequendum] To accomplish his purpose.

quos mactaverat facillimè vestiri posse se existimavit. At istæ crudæ rigidæque erant, neque unquam ille curaverat quâ arte in præparandis pellibus crudis coriarii utantur. Atque si hanc tenuisset, nec acu, nec filis instructus erat, quorum ope, e coriis vestimentum sibi consueret.

Cæterum necessitas omni arte et doctrinâ efficacior *Robinsonem* admonuit quomodò inopiæ suæ mederetur. Pellibus igitur assumptis, cultro siliceo, sed non sine magno labore calceos primùm, tum tibialia quòque secuit. Quæ cùm consuere non posset, incisis foraminibus fila trajecit quibus ea circa tibias religaret.

Ex alio quodam corio curvo rigidoque larvam confecit quam duobus perfodit foraminibus per quæ acies oculorum penetraret, tertiumque quo spiritum ore duceret.

Statuit a labore omninò non desistere, donec tandem tunicam braccasque e pellibus lamarum perfecisset; et certè res erat maximè operosa: quid autem est quod sine labore homines assequi possint? Nihil verò tam arduum quod non ex-

---

Crudæ] Raw. *Rigidæ*] Stiff.

Coriarii] Leather-dressers.

Incisis foraminibus, &c.] He first cut some holes, then drew the thread through.

Larvam] A mask.

Acies oculorum] His sight.

Quo spiritum, &c.] Through which he might breathe.

Tunicam braccasque] A coat and breeches.

pugnet pertinax labor. *Robinsoni* quoque res ex voto cessit; quod eum tantâ affecit lætitiâ, quanta verbis exprimi non possit.

Jam *Robinsonis* habitus vestitusque verè singularis fuit. A capite ad calcem pellibus villosis horridus; gladii loco, securi lapideâ cinctus; gerebat humeris peram venatoriam, arcumque cum fasciculo saggittarum, dextrâ hastam ipso longiorem, sinistrâ umbellam textam viminibus atque foliis cocossæ obsitam, pro pileo denique corbem præacutam pellibus setosis pariter tectam. Cogitate quæso, qualis aspectus hominis fuerit. Risum ipse non tenuit, cùm suum lympharum in speculo vidit simulacrum.

Hâc rerum in conditione *Robinson* versabatur, cùm casu quodam impeditus est quem jam diu metuerat; in morbum incidit.

Ac primò stomachi capitisque doloribus affectum, et omnibus membris fatigatum se sensit, demumque summo animi angore et deliquio oppressus in terram collabitur. Vocis expers atque sen-

---

Horridus] Frightful. He cut a frightful appearance.
Peram venatoriam] His hunting bag.
Ipso] Than himself.
Obsitam] Covered over. *Pro pileo*] For a hat.
Præacutam] Carried to a point; like a sugar-loaf.
Corbem] A basket. *Setosis*] Hairy.
Animi angore et deliquio] A faintness.

sûs, oculos in cœlum defigit. Alme Deus! miserere meî! Hæc sola subinde magno cum gemitu protulit.

Neque tamen diu propter anxietatem quiescere potuit. Cùm quidquid virium supererat colligisset, ea quæ ad curam suî maximè necessaria essent, prope stratum ponit, ut, si propter vim morbi surgere non posset, haberet tamen quo paululùm sublevaretur; sed vix valuit nonnullas cocossæ conchas aquæ plenas asportare, quas juxta stratum collocavit. Tum aliquot tubera frixa et quatuor mala citrea, quæ reliqua habebat, addidit: quo facto, exhaustis viribus in lecto miserabiliter recubuit; ac brevî febri correptus est. Quanquam pellibus lamarum se totum texerat, a frigore tamen se defendere non potuit. Quo frigore duas ferè horas cohorruit. Tum æstus tam vehemens insequitur, ut viscera penitùs urerentur. Pectus crebro concutitur pulsu, sicut solet celerrimo cursu anhelantibus. Tanta autem ejus imbecillitas fuit, ut vix concham aquâ repletam labris admovere valeret, ad hauriendum paululùm humoris. Jam-

Cùm quidquid, &c.] Gathering up what little strength he had left.

Sublevaretur] He might be supported.

Sed vix valuit] He was scarcely strong enough.

Cohorruit] Shook, shivered.

Crebro palmi] With a violent beating or heaving.

que nox oborta erat. Quâquidem nocte tristiorem nunquam ille degerat.

Vicissim aut frigore contremuit, aut arsit calore, acerbissimo continuoque capitis dolore cruciatus; neque somno recreatus est. Quibus malis adeò fractus fuit, ut proximo mane vix posset reptare ad ligna alendo igni necessaria.

Ad vesperem morbus ingravescit. Iterum igni corpus ægrum admovere conantem vires deficiunt. Itaque nunc spes omnis salutis abjicienda fuit. Jamque erat expectatione mortis.

Nox ista superiori similis fuit; ignis interim extinctus est; aqua in conchis cœpit putrescere; *Robinson* autem adeò viribus desertus est, ut vix se in lecto commovere valeret. Mortem quòque appropinquantem sentire sibi visus, tantam inde lætitiam cepit, ut câ ipsâ confirmatus, piis precibus se ad maximum iter incundum ritè pararet.

Deum peccatorum veniam supplex rogavit; quo facto gratias ei egit pro beneficiis in se per totam vitam indignam collatis, imprimìs autem pro calamitatibus quibus ipsum castigaverat; postremò parentibus suis miseris solatium atque felicitatem

---

Degerat] Had passed.

Alendo igni] For keeping up the fire.

Iterum, &c.] Ordo, Vires iterum deficiunt eum conantem admovere ægrum corpus igni.

Sentiri sibi visus] He seemed to feel.

Collatis] Heaped upon.

precatur: tum animum immortalem æterno patri commendavit; cùmque se composuisset, expectavit mortem.

Quæ quidem gradum corripere visa est; angoribus enim ingravescentibus pectus anhelare atque suffocari cœpit. Optatum tempus tandem videtur advenisse. Vehementissimo angore compressus jam non spirat; capiteque reclinato, sensum omnem amittit.

Quæ quidem] Which indeed, viz. death.
Gradum corripere] To hasten.

CAPUT DUODECIMUM.

Convalescit ex morbo.—Maximi luctus.—Parva gaudia.—Psittacus.

Attamen spiritus liberiùs meare cœperat; *Robinson* paulatim allevans oculos circumspexit, satis incertus animusne suus e corpore migrâsset, necne. Jam verò minimè dubium fuit quin viveret. Tunc gravissmè indoluit; mortem enim in isto rerum articulo vitâ potiorem habuisset. Magna quoque infirmitate oppressum se sensit, doloris tamen expertem. Cùm enim anteà æstu ardenti flagrâsset, nunc sudor plurimus salubrisque per omnes artus manabat. Atque ne intercluderetur, pellibus additis se texit, et sic post dimidiam circiter horam magnoperè allevari sibi visus est. Jam verò siti exarsit vehementissimâ, cui explendæ cùm idonea

Spiritus meare] To breathe.

Necne] Or whether it had not.

Vitâ potiorem] More desirable than life.

Ne intercluderetur] Lest the perspiration should be checked.

Allevari] To be eased.

Cui explendæ] To quench which.

non esset aqua putredine corrupta, opportunè malorum citreorum meminit. Adeò verò infirmus erat, ut unum labris ægrè admoveret; cujus tamen succo egregiè refectus, sudore continuò effluente, dulci somno sopitus et non nisi sole oriente experrectus est.

Tunc verò vis morbi omninò laxata erat, neque, præter infirmitatem virium, aliquid mali superfuit; cibum quoque appetere cœpit, bulbumque solani frixum comedit, instillato mali succo citrei quo saporem ejus jucundiorum efficeret et palato refrigerando aptiorem.

Lamarum suorum, quandiu jacuerat ægrotans, curam penitùs deposuerat. Nunc autem valdè commotus est, cùm eos ad pedes suos videret jacentes, nonnullosque oculis in se defixis, quasi ipsum interrogarent num meliùs valeret. Est autem illud animalium genus à naturâ ita comparatum, ut camelorum instar, plurimos dies sine potu degant. Alioquin malè cum iis actum fuisset. Per

Dulci somno sopitus] He fell into a refreshing sleep.

Laxata erat] Was removed.

Bulbum solani] A potatoe. The botanical name for potatoe is solanum tuberosum, tuberous-rooted nightshade; bulbum solani is a root or bulb of this plant, or a potatoe.

Instillato] Having mixed the juice of a lemon.

Ita comparatum] So formed.

Malè cum iis actum fuisset] It would have come badly off with them.

dies enim duos continuos aquam non biberant, necdum etiam *Robinson* propter corporis imbecellitatem surgere, aquamque iis ministrare potuit.

Cùm Lama mater ad eum satis appropinquâsset ut hanc posset attingere, tum levato corpore in cubitum, dextrâ eam mulsit, ex cujus tepidi lactis haustu plurimùm accepit levaminis. Quo facto rursus somnum cepit usque ad solis occasum. Nunc autem cibi major fuit appetitus. Itaque nonnulla solanorum tubera succo mali citrei aspersa comedit, ac denuò somnus eum complexus est.

Atque hæc alta quies, obsecundante firmâ corporis habitudine, quam a naturâ *Robinson* sortitus erat tantoperè ad vires ejus reficiendas valuit, ut proximo mane surgere, et tentabundus progredi auderet.

E speluncâ in vestibulum titubans prorepit. Ibi solis orientis radii, inter frondes vicinarum arborum nitentes, vitali eum calore recreant. Sibi quasi recèns natus videtur; Deo, vitæ fonti æterno, gratias agit quod sibi denuò intueri liceat sidus illud pulcherrimum mirandaque summi rerum conditoris opera. Nunc aspicit cœrulei cœli immen-

---

Ex cujus tepedi lactis haustu] From the drinking of whose warm milk.

Levaminis] Benefit.

Sortitus erat] Had got, had had given him.

Et tentabundus] Having made a trial.

sitatem, nunc recentem et amœnam arborum fruticumque rore madentium viriditatem, nunc lamas fideles qui circumstantes domino blandiri, et lætitiam videntur significare.

Mox autem favente aere puro et aquâ frigidâ lacte temperatâ, necnon placidâ mentis serenitate, penitùs convaluit. Brevì quoque viribus recuperatis, ad opera instituta se retulit.

Hoc unum tunc ei molestum fuit quòd ignis exstinctus esset. Verumtamen magnâ cum animi moderatione hunc casum tulit, nec spem omninò amisit, si quidem nunc expertus erat nihil esse cur adversus hiemis inclementiam sibi præcaveret, atque etsi ab ineunte ætate carne vesci consueverat, speravit tamen fore ut eâ carere solisque fructibus et lacte lamarum vitam sustentare posset.

Quid nunc suscipiat, confectis omnibus quæ manibus sine ullius instrumenti auxilio confici possent? Nihil ergò sibi superesse putavit, nisi ut in otio et somno vitam consumeret. Quâ quidem conditione miseriorem sibi fingere nullam potuit. Jam enim tantoperè labori assuetus erat ut vitam intolerabilem existimaret, quoties utili operæ vacare

Recentem viriditatem] The fresh foliage.

Rore madentium] Dripping with dew.

Si quidem] Seeing that.

Ab ineunte ætate] From his earliest years.

Non liceret vacare] He could not devote some time to some useful employment.

non liceret; diu itaque multumque secum reputavit quemnam laborem nunc capesseret, ut fugeret otium. Tandem invenit in quo operam suam collocaret.

Diu noctuque animo versaverat consilium naviculæ conficiendæ, cujus ope tentaret num posset in societatem hominum redire, atque se ab eâ solitudine eximere quam graviorem erat expertus, ex quo ignis usum amiserat. Nec temerè continentem Americæ haud procul abesse augurabatur. Statuit autem, si modò scaphulam sibi parare posset, spretis omnibus periculis, continentem petere. Cùm totum se huic consilio tradidisset, procurrit aliquandò ad eligendam arborem cujus truncus in formam cymbæ cavaretur. Hâc mente loca nonnulla perlustrans quæ nondum inviserat, varia ignotarum plantarum genera detexit, in quibus constituit experimenta facere ut intelligeret an iis quoque vesci posset. Inter alia frutices nonnullos invenit frumenti indici, quod apud nos triticum Turcicum appellari solet.

Miratus ille spicarum magnitudinem in quibus supra ducenta grana denso ordine structa erant, non dubitavit panem ex iis confici posse. Quo-

---

Graviorem] More burdensome.
Ex quo] Ex illo tempore quo.
Scaphulam] A skiff or small boat.
Cavaretur] Might be hollowed out.
Frumenti indici] Indian corn.

modo autem grana moliturus erat? quomodo farinam furfure purgaturus? quomodo tandem panem inde cocturus, cùm ignem desideraret. Nihilominùs tamen aliquot spicas inde secum abstulit, quarum grana sereret: Quidni, ait ille secum, fieri possit ut ex iis aliquam olim utilitatem percipiam.

Posteà verò reperit quoque arborem frugiferam in quam anteà non inciderat. Capsulas crassus pendentes vidit, quarum unam cùm confregisset, sexaginta circiter fabas invenit. Quamvis saporem jucundum in iis non deprehenderet, attamen unam ex iis quæ sibi maturior visa est, peræ suæ commisit. Erant fabæ CACAOTICÆ, è quibus potus CACAOTICUS paratur.

Tandem arborem ingentem sibi prorsùs ignotam invenit, cujus fructus nuces cocossæ mugnitudine æquabant. Qui cum putamina nulla haberent, saporem verò jucundissimum, toti comedi poterant. Arbor ipsa multum dissimilis erat cocossæ. Non enim trunco tantùm constabat qui erigitur, quemadmodum cocossa, nec in coronam magnorum folio-

Furfure] From the chaff.
Olim] Some time hence.
Capsulas] Shells or pods.
Potus cacaoticus] Chocolate
Toti] The whole of them, as they had no shell.
Non constabat] It did not consist of.
Erigitur] Grows upright.
Coronam] A bunch.

um supernè desinit; sed erant ejus rami foliaque uasi nostrarum arborum pomiferarum. Posteà omperit arborem eam esse quam paniferam appel-amus, proptereà quod fructus ejus vel crudi, vel ommiuuti atque depsendo subacti, barbaris homi-ibus vicem panis præstant.

Cùm animadvertisset illius arboris truncum ab no latere jam leniter esse excavatum, existimavit sse cymbæ conficiendæ idoneum, dummodo excidi c penitùs excavari posset. Si verò arborem tam tilem exciderit, incertus ipse an sibi unquàm ymbam contingeret inde fabricare? Hæc cogi-ans, exterritus est, hæsitque diu inops consilii. Attamen loco arboris notato, dubius animi domum evertitur.

Inter redeundum, quod jam diu optaverat, ni-lum psittaci invenit. Tum circumspiciens quâ parte facillimè locum invadat, accedit pede sus-penso. Vigilabat rostro extrà nidum prominente mater pullis incubans, et ad aspectum inusitatæ formæ aliquid mali suspicata, aciem oculorum ar-

---

Supernè] At the top. *Paniferam*] Bread tree.
Comminuti] Broken to powder.
Depsendo] By kneading.
Subacti] Mixed up. *Invadat*] Could get to.
Pede suspenso] On tip-toe.
Vigilabat, &c.] Mater, pullis incubans (brooding her young) rostro prominente extra nidum.

rigebat ad periculum. *Robinson* scandit per densissimas frondes, manibus retinens virgulta. Sed quò propriùs accedentem prodit strepitus foliorum, eò magis crescebat sollicitudo matris. Ac demum homo adest, manumque nido injicit. Avolat mater, avolant adulti jam validiores; unus cæteris tardior hæret in manibus; *Robinson* domum properat, hilarior quàm si thesaurum nactus esset.

Tum redux quàm solertissimè potest caveam concinnat, in quâ hospitem novum collocet. Quâquidem juxta stratum suum positâ, tàm lætus recubuit quàm qui novum sibi amicum comparavit.

Propiùs accidentem prodit] Betrayed his approach; the nearer he approached, the more did the mother's care increase.

Homo adest] He got to the nest.

Nactus esset] Nanciscor, nactus—sum, to get.

CAPUT TREDECIMUM.

Multus labor in excavandâ scaphâ.—Robinsonis *constantia.*—*Quomodò diem inter varias occupationes distribuit.*—*In bellicis artibus se exercet.*

NULLUM unquàm negotium tam molestum tamque diuturnum *Robinson* susceperat, quàm cùm cymbam fabricare adortus est. Multi alii animum abjecissent, e manibus securis brevi excidisset, et tale susceptum visum fuisset sin minùs stultum, at saltem ejusmodi quod fieri nullo modo posset. *Robinson* autem hanc legem sibi fecerat ut nullis difficultatibus ab ullo unquam incepto semel probato deterreretur. Itaque hoc etiam summâ animi constantiâ persecutus est; et si illud multò plus et temporis et laboris postulâsset, ei in mentem non venisset à proposito recedere. Jam ille satis intellexit hoc opus plures annos requirere; justam

Animum abjecissent] Would have lost courage.
Ejusmodi] An undertaking of that kind.
Semel probato] Which he had once approved, or determined to execute.

igitur diei distributionem facere decrevit, ut cuilibet horæ suus esset labor assignatus. Experientiâ enim edoctus erat nihil majori ad industriam promovendam adjumento esse, quàm cùm certo ordine inter singulas diei horas labor aptè dividitur. Multiplex enim fit momentorum numerus quæ suo quæque usu distinguuntur.

Itaque cum sole surgere consueverat atque ad fontem se conferre, ut caput, manus, pectus, pedesque ablueret. Deinde domum reversus vestes induebat. Quo facto, collem speluncæ imminentem conscendere, unde longe lateque circumspicere posset, atque ibi in genua postratus preces matutinas piè fundere, Deumque orare pro carissimis parentibus quos deseruerat quidem, nunquàm verò oblitus est. Tum lamas mulgere quarum gregem non ita contemnendum paulatim educaverat. Deinde aliquam lactis partem haurire. In quibus peragendis prima diei hora effluxerat.

Tum omnibus rebus instructus quæ seu ad tutelam suî, seu ad laborem pertinerent, ibat vel ad littus, si mare recederet ostreas in prandium collecturus, vel ad arborem ex quâ navem fabricare statuerat.

Sub horam decimam, cum diei fervidissimum tempus esset, laborem *Robinson* intermittebat. Tum

---

Multiplex fit] Is many times increased,
Suo quæque usu] Each for its allotted purpose.

ille littus repetebat, aut ostreas conquisiturus, si modo manè non invenisset, aut membra lavaturus, quod bis quotidie facere in morem ei abierat.

Deinde iterum lamas mulgere, caseos ex lacte coagulato premere, prandiumque mediocre instruere quod ferè lacte, et caseo recenti, nonnullis ostreis, dimidiâque nuce constabat. Nec illi querendi locus erat quòd in fervidis istis regionibus ciborum appetitus multò minor sibi esset quàm sub cœlo frigidiori. Attamen solitus a pueritiâ carnem edere, illam tundendo emollire denuò coactus est, ut aviditatem expleret; sed frustra. Inter prandendum cum psittaco suo confabulari solebat, quem nonnulla verba pronunciare docuerat. Scilicet audiebat discipulus et reddebat sonos, vicibus reticens quasi intelligeret emendandem. Hunc quòque assuefecerat se vocantem audire et euntem sequi.

Post prandium, horam quieti sub umbrâ aut in speluncâ dabat, stante ad latus psittaco et Lamis

---

Si manè non invenisset] If he did not happen to have found any in the morning.

In morem abierat] Had become a habit.

Nec illi querendi locus erat] Nor had he any cause to complain.

Inter prandendum] During dinner.

Vicibus reticens] Being silent by turns.

Hunc] The parrot.

Se] Robinson.

circa dominum recubantibus. Tum ille interdum sedens, animalia ista, in quæ defixos tenebat oculos, alloquebatur, verba sua intelligi ratus; adeo ille gestiebat cum animante quodam mentis cogitationes sensusque communicare, ut sæpiùs obliviscerétur se cum animalibus rationis expertibus sermonem habere. Quoties autem psittacus vocem distinctè emittebat, tanta erat *Robinsonis* lætitia, ut humanam vocem audire sibi videretur, atque adeò insulæ, lamarum, psittacique oblitus, se inter homines versari sibi cogitatione fingeret. Sed cùm brevì evanesceret error ille blandissimus, tum ad memoriam solitudinis revolutus, ingemiscebat: *miser Robinson!*

Sub horam a meridie secundam ad arborem reversus, rursùs instabat magno operi. In quo labore durissimo quotidiè duas horas consumere sibi præceperat; quibus elapsis redibat ad littus, cum ad corpus denuò abluendum, tum ad ostreas conquirendas. Reliquam diem variis operibus hortensibus impendebat; et nunc zeam aut solana plantare, sperans fore ut olim, igne recuperato, magnam inde utilitatem caperet, nunc teneras

Adeo ille gestiebat] So much did he delight.

Cum animante quodam] With any thing that had life.

Instabat] Stuck at, continued to labour at.

Zeam] Corn.

stirpes insertas irrigare, nunc sepes serere quibus hortum clauderet, nunc arbores circumcidere, ramosque flectere qui sibi umbram hospitalem ministrarent.

Nunc autem *Robinson* ægrè tulit vel longissimum diem in hâc insulâ tredecim ad summum horas durare, adeò ut mediâ æstate, horâ septimâ post meridiem tenebræ jam ingruerent. Itaque quidquid lucem diei requirebat, ante hoc tempus perficiendum erat. Sub horam igitur sextam, si modò nihil majoris momenti agendum superesset, sese in bellicis artibus exercere, arcum tendere, sagittas emittere, ut, si quandò incideret in barbarum hominem aut ferum animal, cujus timorem nondum deposuerat, satis se defenderet. Quarum quidem artium tamtam paulatim peritiam adeptus est, ut rarò, quamvis longo interposito intervallo, à scopo nummi magnitudinem æquante aberraret. Vesperascente cœlo, Lamas tertiùm mulgere, cœnamque frugalem sumere, stellis aut lunâ lucentibus.

Ultimam diei horam rerum naturæ contemplationi dabat. Nimirùm in editiore loco sedens, intuebatur cœli convexa stellis undique distincta,

---

Vel] Even. *Ad summum*] At the most.

Ingruerent] Came on.

A scopo, &c.] From the mark, though no bigger than a piece of coin.

Cœli convexa] The heavens.

aut signa ex mediâ cœli parte vergentia, rursùsque alia ex occulto surgentia; aut lunam modò crescentem, modò senescentem, et nunc curvatam, nunc æquâ portione divisam, maculosam interdum, eamdemque subitò renidentem. Nonnunquàm in littore ambulans auram vespertino vento temperatam spirabat. Quàm pulchrum, quàm admirabile spectaculum mare exhibebat oceani immensitatem e littore prospicienti? Ut varium, ut suî semper dissimile! Modò placidum et quasi sopitum, politissimi mentitur speculi planitiem; modò tanquàm otii pertæsum, crispatur, leviter, fertur ultrà citràque per ludibrium, cùm subitò ludorum impatiens, conturbatur, turgescit, fluctusque spumantes, volvit ad pedes *Robinsonis* securè minas contemplantis.

Cum sic ille in admiratione nunc rerum naturæ, nunc maris diutiùs hæsisset, tum ad se ipsum conversus animum ad rationem reddendam vocabat.

Signa] The constellations, or signs of the zodiac.

Maculosam] Spotted; the spots in the moon vary in appearance, according to her motion.

Renidentem] Shining bright.

Prospicienti] To him beholding.

Mentitur] Resembles.

Crispatur] Is ruffled.

Ad rationem reddendam] Scil. quomodo diem egisset—to give an account.

Scilicet diem totam excutiens, secum anquirebat, quomodo hanc diem egisset, quod malum sanâsset, quânam parte factus esset melior? Quoties hæc et talia a se ipso percunctanti præclarum conscientia testimonium præbebat, ut ipse sibi gratulabatur! ut ille laudes Dei optimi maximi canebat, quo favente aliquid hâc die in virtutis viâ profecerat! Si verò post recognitionem suî aliquid peccasse sibi videretùr, o quàm ille tunc dolebat amissum in vitâ diem! Amissum enim interpretabatur diem illum quo commiserat quidquam aut cogitaverat, cujus die exacto ipsum pœniteret. Hunc quòque solebat signo notare, propè lineolam quâ quotidie in arbore rationem temporis exarabat, ut præteritæ culpæ memor in posterum tantò magis ab eâ sibi caveret.

Excutiens] Examining.

Quod malum sanâsset] Whether he had cured himself of any bad passion.

Ut gratulabatur] How he congratulated.

Cujus die exacto, &c.] Of which he repented when the day was done.

Exarabat rationem temporis] Kept an account of the time on the tree.

Ab eâ sibi caveret] Might avoid it.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Robinson *insulam peragrat.—Vestigia hominum reperit.—Summus terror.—Prospicit crania, ossa, manus, pedes.—Quod territo et fugienti accidit.*

Robinson assiduam per tres annos navi conficiendæ operam dederat, trunco vix dimidiâ quidem parte exciso. Incertum quòque videbatur an illud, etsi eâdem assiduitate operi instaret, trium aut quatuor annorum spatio perfecturus esset; nec tamen in suo studio atque opere cessavit: quid enim aliud susciperet? neque verò illi placuit, nec licuit esse otioso.

Quâdam die in mentem ei venit se, quàmvis jam diu in insulâ istâ habitaret, non nisi minimam partem adhuc explorâsse. Objecit sibi ut animi vitium, timorem istum quo impeditus insulam totam nondum peragrârat. Forsan, si minùs ego timidus fuissem, multa invenissem quæ nunc mihi maximæ esssent utilitati.

Etsi instaret operi] Vide page 102.

Nec licuit esse] Nor would his circumstances allow him.

Objecit, &c.] He laid that fear to a diseased mind.

Quæquidem cogitatio animum *Robinsonis* impulit ut illicò statueret proximo mane in viam se conferre ; eoque ipso die omnia ad iter faciendum paravit.

Postridiè, orto sole, uno e lamis quatuor dierum victu onerato, armis ipse indutus postquam se Dei tutelæ commendavisset, fidenti animo viam ingressus est. Constituit, quantùm fieri posset, littus sequi, nec sylvestribus locis se committere, ne in feras incideret.

Ac primo die nihil ei in itinere accidit memorandum. Sex milliaria circiter eo die confecit, et quo longiùs progrediebatur, eò certiùs comperit se in sterilissimâ insulæ parte sedem posuisse ; multis nimirùm in locis arbores invenit vario fructuum genere abundantes, unde victum non salubrem minùs quàm jucundum petere potuisset. Horum posteà usus nominaque didicit.

Primam noctem *Robinson* in arbore egit, ut tutus a feris esset ; et posterâ die iter persecutus est. Nec multum viæ confecerat, cùm extremam insulæ partem versùs meridiem attigit. Solum nonnullis in locis erat arenosum. Dum autem tendit ad tractum terræ in mare procurrentem, ecce pedem

---

Uno e lamis onerato] Having loaded one of the lama.
Memorandum] Worth relating.
Egit] Passed. *Solum*] The soil.
Pedem fert retro] He turns back immediately.

fert retrò ; tum pallescere, contremiscere, oculos circumferre, et subito hærere quasi fulmine repentino ictus. Vidit nimirùm quod hic visurum se nunquàm speraverat, vestigia hominum arenæ impressa !

Tum ille territus undique circumspicit ; audito vel levissimo foliorum strepitu stupet, sensusque adeo perturbantur ut stet inops consilii ; tandem collectis viribus fugam corripit, quasi instarent a tergo, nec præ terrore respicere ausus est. At ecce repentè substitit. Metus in horrorem vertitur. Videt nimirùm fossam rotundam atque in medio ignis extincti focum. Quem circà, horresco referens, crania, manus, pedes, aliaque corporis ossa aspicit, execrandas reliquias convivii a quo natura abhorret; scilicet tunc temporis in insulis *Caraïbicis* feri homines degebant, cannibales vocati aut antropophagi ; quibus solemnis erat consuetudo captivis mactatis assatisque immanes epulas celebrare, in quibus lætitiâ atrociùs debacchabantur, saltantes, canentes, aut potiùs, satiatâ feritate, ululantes.

Robinson oculos ab horribili spetaculo avertit.

Vestigia] The footsteps.
Fugam corripit] Takes to flight.
Instarent] They were pressing upon him.
Antropophagi] Men-eaters.

Nauseâ etiam correptus, animi deliquio laboraturus fuisset, nisi stomachum vomitu levâsset. Ubi primùm paululùm refectus est, fugit tantâ velocitate, ut vix fugientem fidelis lama sequi potuerit. Tantopère verò mentem *Robinsonis* timor alienaverat, ut lamæ sui planè oblitus, audito sequentis socii gressu, instantem a tergo sibi cannibalem fingeret, omnibusque viribus effugere conaretur.

Ac ne cursum morarentur, hastam, arcum, sagittas, securim abjicit ; quam sibi videt expeditiorem, viam potiorem habet, iteratisque per totam horam ambagibus sic efficit ut circumeundo ad locum eumdem unde aufugerat redierit. Tunc novus horror animum ejus attonitum occupat. Quo in loco versetur non agnoscit, nec animadvertit eumdem esse quem anteà viderat ; sed putat invenisse se novum immanitatis eorum quos fugit monumentum. Itaque violentissimo impetu se proripit, neque priùs currere desiit quam fessum cursu corpus vires desererent. Tunc omninò exhaustus sensuque orbatus procidit. Hùc quoque Lama ad-

---

Animi deliquio, &c.] He must have fainted.

Quam sibi, &c.] He thought the shortest road the best.

Iteratis ambagibus] By continued turnings and windings.

Neque, &c.] Neque desiit currere priusqam vires desererent corpus fessum cursu.

venit, nec fessus minùs juxtà dominum procumbit. Fortè is ipse erat locus ubi antea *Robinson* arma abjecerat. Oculis itaque non multò post apertis, hæc prima in gramine conspexit. Quodquidem somnium ipsi omninò visum est, nec intelligebat quomodo et arma sic jacerent, et ipse in eum locum venisset : tantopere formido animum ejus perturbaverat !

Ac brevi surrexit ut locum istum quàm celerrimè linqueret. Sed tunc paululùm ad se reversus, nec tam imprudens ut arma oblivisceretur, statuit ea jam non exuere quibus solis vitam poterat defendere. Tantopere autem erat debilitatus, ut, licet instante metu, jam non eâdem quâ anteà, pernicitate fugeret. Per totum reliquum diem cibi appetitum planè amisit, semelque tantummodò substitit ut sitim fontis aquâ restingueret.

Frustra speravit se eodem die ad sedem suam perventurum. Obscurâ jam luce, dimidiæ circiter horæ spatio aberat a domicilio, eo scilicet in loco quem rusculum suum vocaverat. Quippe spatium erat clausum, et satis amplum, in quo partem gregis coercebat, quia nempe pinguiora ibi quam prope

---

Arma, &c.] His hatchet, &c.
Eadem pernicitate] With the same speed.
Dimidiæ horæ spatio] A half hour's walk.
Rusculum suum] His country seat.
Pinguiora, &c.] The grass was richer.

habitaculum suum crescebant gramina. Ibi nonnullas noctes superiori æstate degerat, ne ab insectis quæ eum domi fodiebant infestaretur. Sed viribus planè exhaustis longiùs progredi non poterat. Etsi periculosissimum ei videbatur pernoctare in loco nullis presidiis munito, attamen necessitas illud postulabat. Vix autem humi se prostraverat, cùm neque omnino sopitus, neque omnino vigil, in ambiguâ somni expectatione, ecce subito terrore perhorruit.

Vocem audivit veluti cœlo demissam hæc verba articulatè proferentem: *Ave, Robinson.*

Robinson perterritus exilit toto corpore contremiscens, et planè inops consilii. Ac iisdem iterum auditis, oculos in eum locum timidè convertit, unde vox profecta erat. Tum vidit, quod sanè ignavo cuique in promptu esset, si rem, priusquam animus perturbaretur, paulò attentius consideraret; vidit se vano metu territum fuisse; quippe vox illa profecta erat non de cœlo, sed de ramo in quo carissimus sibi insidebat psittacus. Tum verò metus in lætitiam vertitur quòd causam rei invenisset. Manum porrigit psittaco; ille devolat, dumque mutuis alter alterum blanditiis

---

Fodiebant] Stung. *Vigil*] Awake.
Exilit] Jumped up.
Ignavo cuique] To any blockhead.

excipit, psittacus pergit proferre dictatam salutationem.

Hic autem totam ferè noctem insomnem traduxit, tum cibi, tum quietis immemor, fremitum quemque auribus captans. Feri homines semper occurrebant oculis; frustra vero animum a fœdâ cogitatione abducere tentavit. Tum ut se tutiorem in futurum præstaret, cœpit plurima animo consilia agitare, eaque stultissima. Ex quibus unum, quod incredibile videbitur, hoc erat ut die oborto omnia adæquaret solo quæ tantâ diligentiâ, tanto labore extruxerat; ne vel minimum quidem humanæ industriæ vestigium deprehendi posset.

Dictatam] The before-said, viz. "Ave Robinson."
Traduxit] He passed without sleep.
Auribus captans] Listening to.
Consilia agitare] To form schemes.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Epulæ atroces.—Prælium.—Fortitudo Robinsonis.—Friday servatus.

Vix alma diei lux umbras noctis dispulerat, cùm *Robinson* res vidit in alio lumine collocatas. Quod heri prudentia, quod necessitas suadebat, tunc stultum atque inutile judicavit. Consilia demum minùs considerata quæ timor ipsi suggesserat, nunc reprobat, et ad meliora rationique magis consentanea animum convertit. Nunc enim, nocte interpositâ, intelligit timorem hesternum fuisse nimium. Dudum ait ille secum, hic ego commoratus sum, nec ullus unquam homo ferus in vicinitatem habitaculi mei venit ; ex quo satis patet suum eos in hâc insulâ domicilium non habere. Verisimile est,

In alio lumine] In another point of view.

Rationi magis consentanea] Plans more agreeable to reason.

Satis patet] It is clear.

Suum, &c. Eos non habere suum domicilium, &c.

aliam eos incolere regionem unde nonnulli hùc veniunt ut victorias atrocibus epulis concelebrent, eosque ad eam insulæ partem quæ vergit ad meridiem appellere, atque inde discedere, cæteris insulæ partibus neglectis. Singulari igitur ac divino munere, ego in hanc steriliorem insulæ partem compulsus fui, hoc ipso tutior. Tum animo et viribus confirmatus, domum se contulit, ut nova quæ inierat consilia persequeretur.

Placuit inter cætera plantare non procul ab arboreo quo habitaculum munierat septo nemus ita densum ut sedes a longinquo conspici non posset. Hâc mente duo circiter millia ejus generis salicum plantavit quas jam facilè radices agere atque brevi crescere animadverterat. Sed maximè cavendum judicavit ne eas ordine aliquo disponeret, ut sylvula naturâ potiûs quàm arte consita videretur. Tum statuit viam subterraneam per cuniculum agere, ab imâ speluncâ ad alterum montis latus, ut, urgente necessitate, haberet effugium. Quodquidem opus fuit magni et diuturni laboris, adeò ut a cymbæ fabricatione ad tempus omninò desisteret.

Hoc ipso] For that very reason.
Ab arboreo] Ab arboreo septo, quo, &c.
Salicum] Of willows.
Cuniculum] A mine or passage under ground.

Sic ille quidem satis tutus sibi videbatur ab impetu repentino. Quod verò? si hostis instet, obsidîòneque cinctum teneat? Neque hoc vanum prorsus erat aut futile; quippe quod aliquando fieri posset. Itaque necesse esse judicavit ut se adversus hunc casum muniret, ne fame aut periret aut ad deditionem compelleretur. Quamobrem statuit unam certè lamam quæ lacte abundaret in atrio domicilii servare, atque ad hanc alendam fœni acervum sepositum habere ex quo nihil, nisi necessitate coactus, detraheret. Decretum est quoque casei, pomorum et ostrearum copiam parare, quam de die in diem renovaret.

Quibus ita dispositis, *Robinson* aliquot annos vitam vixit adeo tranquillam ut nihil memoratu dignum ei acciderit. Igitur ad rem illam propero quæ ad commutandam ejus conditionem plus valuit quâm quidquid huc usque ei contigerat.

Cùm *Robinson* mane quodam sereno in cymbâ fabricandâ esset occupatus magnum e longinquo fumum ascendentem subitò conspexit. Primo quidem aspectu obstupuit, mox autem ad montem speluncæ imminentem quàm celerrimè cucurrit, causam rei inde speculaturus. Ubi primùm mon-

Obsidione] By a blockade.

Aliquando] Some time or other.

Sepositum habere] To lay up by itself for that particular purpose.

tem conscendit, majori etiam cum terrore conspexit quinque scâphulas in littore religatas, triginta autem barbaros ingentem apud focum, truci gestu, atque incondito clamore chorum agentes. Saltabant unico tantùm pede. Nam alterum erectum et in aere libratum habebant.

Etsi ad spectaculum hujusmodi videndum *Robinson* non imparatus erat, parum tamen abfuit quin rursùs terrore exanimaretur. Verumtamen fortitudinem et fiduciam celeriter in animum revocavit. Tum e colle properè descendit, omnia dispositurus quibus se tueretur, cunctisque armis instructus, et auxilium precatus a Deo, constituit vitam suam, quoad posset, defendere. Tunc iterum ad summum collem conscendit, hostes exploraturus.

Mox verò cohorruit atque indignatus est, cùm satis distinctè vidit duos homines e scaphis trahi ad ignem. Ac primò suspicatus est eos neci addictos, brevique comperit se non errasse. Aliquot enim ex barbaris alterum captivum prosternunt, prostratumque duo alii adorti, corpus laniant, ad

---

Scâphulas] Small boats or canoes.

Incondito] Confused.

Chorum agentes] Dancing.

Quoad posset] As well as he could.

Neci addictos] Doomed to slaughter.

Adorti prostratum] Setting to work on the one thus thrown on the ground.

Corpus laniant] Cut up the body.

epulas atroces instruendas. Interim stabat alter captivus, donec ipse quoque mactaretur. Dum verò intentos quisque oculos in cruciatum et lacerationem tenet, ille, tempore arrepto, fugit atque citatissimo cursu in eam regionis partem contendit quam *Robinson* incolebat.

Tunc noster erectus suspensusque tum spe et lætitiâ, tum timore atque horrore vicissim perstringitur. Hinc exultat, cùm vidit captivum aliquo spatio persequentes superantem; inde toto corpore contremiscet, cùm animadvertit cunctos ad habitaculum suum anteà ignotum, cursum dirigere. Erat autem sinus mediocris profugo trajiciendus, ne in manus hostium caderet. In quem statim prosiliit eâdemque quam huc usque adhibuerat celeritate tranavit ad littus oppositum. Dum ii qui propiùs urgebant in aquam se quoque projiciunt, cœteri ad convivium horribile revertuntur. Quanto autem gaudio *Robinson* animadvertit, hos

---

Donec ipse quoque] Till it should be his turn.

In cruciatum] Upon the torturing.

Perstringitur] Is touched.

Sinus] A pond or lake.

Profugo] By him flying.

Quam huc usque adhibuerat] Which he had hitherto used.

Qui propiùs urgebant] Who were nearest him in the pursuit.

illi natando pares non esse! Miser enim jam ex aquâ emerserat, cùm cœteri nondùm emensi erant dimidiam sinûs partem.

Tunc *Robinson* insolitâ fortitudine atque audaciâ animatum se sensit; hastâ correptâ e monte decurrit. Et continuò egressus sylvâ, terribili voce exclamat: Siste gradum! At ille, aspectu *Robinsonis* pellibus horridi obstupuit, ratus esse aliquem supra humanam conditionem, incertusque utrum se ad pedes ejus projiceret, an verò fugam persequeretur. *Robinson* ei manu significat adesse se defensorem, et subitò conversus it obviam hostibus. Priorem, cum jam propiùs esset, hastâ percussum vi magnâ dejicit. Alter qui centum circiter passus aberat, attonitus stupet; tum arcum sagittâ instruit, quam in *Robinsonem* jam proximè accedentem, intorquet. Illa pectus ejus ferit, sed adeò leviter pellem quâ indutus erat strinxit ut corpus ferro esset intactum. Tum *Robinson* priori victoriâ ferox, vehementi impetu elatus, barbarum prostravit. Deinde hominem respicit cujus vitam servaverat; hic autem timorem inter et spem dubius eodem in loco hærebat, incertus

---

Insolita] With more than usual.

Siste gradum!] Stand!

Addesse se defensorem] That it was a friend who approached.

Intorquet] Let's fly.

utrum hæc omnia suæ salutis causâ agerentur, an sibi ignotâ victoris manu foret quoque pereundum. Ille autem barbarum ad se vocat, significatque ut propiùs accedat. Hic paruit, mox autem præ metu constitit; et nunc pedem profert, nunc retrahit; demùmque lentè progreditur, non sine magnâ significatione terroris, supplicisque habitu.

Cùm *Robinson* amicitiam suam omni modo dedemonstrâsset, tandem ille formam ignotam adire ausus est, sed decimo quoque passu supplex in genua procidit, quasì gratias ageret simul et honorem præstaret.

Tum *Robinson* sublatâ larvâ vultum humanum et benignum ostendit. Quo viso, barbarus confidentiùs servatorem suum adit, totoque corpore se projiciens terram osculatur. Noster autem, qui amicum habere mallet quàm servum, blandè hominem manu allevans, ei quâcumque potuit ratione persuadere studet se velle cum ipso amicitiam jungere. Multa verò facienda superant.

Barbarus qui prior fuerat prostratus vulnus lethale non acceperat; itaque cùm animum sensim recepisset, herbis evulsis ad sedandum sanguinem

---

An sibi quoque pereundum] Or whether he should likewise be killed.

Pedem profert] Proceeds.

Lethale] Mortal.

Ad sedandum] To staunch.

vulnus obturare cœpit. *Robinson* barbaro suo hoc demonstrat. Tum Indus nunc securim lapideam *Robinsoni* ostendit, nunc se ipsum, significans se illius ope vitam hosti erepturum. *Robinson* autem qui ab humano sanguine effundendo abhorrebat, tunc necesse ratus ut hostis de medio tolleretur, securim porrigit, avertens oculos. Indus in hostem vulneratum irruit, illum uno ictu obtruncat; tum ovans revertitur et securim cæsique hominis cruentum caput, victoriæ pignora, ad pedes *Robinsonis* deponit.

Tum *Robinson* ei signis quibusdam dedit intelligendum, ut, collectis cæsorum arcubus et sagittis se prosequeretur; barbarus autem innuit *Robinsoni*, priùs quàm recederent, corpora defunctorum esse humi condenda, ne socii ulla aliquando eorum vestigia reperirent.

Cùm *Robinson* indicâsset se hoc probare, Indus solis manibus magnâ cum celeritate brevi utrumque cadaver arenâ obruit; tum ambo ad habitaculum *Robinsonis* se conferunt.

Obturare] To stop up.

Illius ope] With the assistance of that, viz. the hatchet.

Ab effundendo abhorrebat] Shuddered at the thought of spilling.

De medio tollere] To put to death. To take away from society.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Robinson *paratus ad obsidionem ferendam.*—Friday *describitur.*—*Quare sic appellatus*

INCERTA adhuc ancepsque erat fortuna *Robinsonis*. Nonne verisimile erat barbaros, epulis inhumanis satiatos, vestigia sociorum secuturos esse ut eos et captivum qui evaserat quærerent. Tunc verò dubium non erat quin illi, detecto semel *Robinsonis* habitaculo, expugnatoque, eum simul et novum comitem occiderent. Quæ cogitatio *Robinsonis* animum agitabat, dum e summo colle post arborem latens fœdam epulationem chorosque barbarorum intuetur. Tunc deliberat quid sibi in hoc rerum articulo faciendum sit, utrum fugiat, an in arce suâ inclusum se teneat? Cùm verò mentem suam ad potentissimum illud numen innocentiæ præsidium erexisset, sese adeò confirmatum animo sensit

Expugnato] And having made themselves masters of it.

Ad potentissimum numen] To that supreme Being.

Præsidium] The protector.

ut posterius facere constituerit. Itaque inter dumeta usque ad domicilium prorepit socio significans ut idem agat; sicque ambo ad speluncam perveniunt.

Tunc barbarus domicilium liberatoris commodè dispositum intuens obstupuit, quippe qui nihil unquam vidisset sic ordinatum.

Robinson barbaro significat quid sit ab hostium multitudine metuendum; se autem paratum esse ad vitam strenuè defendendam. Quo quidem ille intellecto, truci vultu securim vibrat, gestuque terribili versùs eum locum se convertit ubi hostes erant, quasi illos provocaret, patronoque declararet se ad acerrimam defensionem paratissimum. *Robinson*, hâc ejus fortitudine probatâ, hastam, arcum et sagittas ei tradit, eumque ad foramen munimenti arborei velut in excubiis collocat, unde prospiceret quid in spatio inter parietem et nemus a se consitum interjecto ageretur. Sic cum forti socio usque ad vesperam armatus stetit; cùm verò post aliquot horas nihil usquàm hostile cernerent, ex-

---

Posterius] The latter—*that is*, to go to his cave.

Ad foramen munimenti arborei] At the entrance of the fortification which he had made of trees.

Velut in excubiis] As a centinel.

Unde prospiceret] Ordo. Unde prospiceret quid ageretur in spatio interjecto inter parietem et nemus (quod) consitum (erat) a se.

stimaverunt barbaros postquam frustra investiga-verant, in scaphis domum reversos esse. Igitur armis depositis, *Robinson* cœnam instruit.

Cùm autem hæc dies in vitâ *Robinsonis* maximè memoranda, dies esset Veneris, Anglicè *Friday*; memoriam ejus consecrare voluit; itaque barbarum, quem servaverat, eo nomine appellavit.

Nondum huc usque *Robinsoni* vacaverat eum attentiùs considerare. Juvenis erat egregiæ formæ, viginti circiter annorum; colore fusco, cute nitidâ, crinibus nigris, non autem laneis, sicut Æthiopum, sed rectis; naso brevi, nec eo depresso, labiis parvis, dentibus ita albis ut ebur æquarent. Aures ejus variis conchis et pennis ornatæ erant, quibus ille non mediocriter superbire videbatur; nudus cæterùm a capite ad pedes.

Itaque *Robinson* amiculo consuetis e pellibus confecto socium induit. Tum ei significavit ut lateri assideret ad cœnandum.

Friday magnâ cum reverentiæ atque grati animi significatione ad *Robinsonem* accessit; tum in genua se prostravit, capite in terram demisso.

Nondum Robinsoni vacaverat] He had not yet had leisure.

Non laneus] But not woolly,—straight.

Nec eo depresso] But not flat.

Amiculo] A garment, covering.

Robinson autem socio atque amico diu exoptato mirificè lætatus, blanditiis potiùs illum sibi devincire cupiebat; nimirùm existimabat duplicem non esse generis humanis originem, nec fictos meliore luto hos qui vocantur albi, cùm eodem patre atque nigri homines nati sint; attamen cùm putaret prudentius esse hospitem nondùm satis sibi cognitum intra obsequii et venerationis fines continere, honoremque ab eo velut sibi debitum accipere, aliquandiù regis personam erga hominem gerere constituit.

Duplicem, &c.] i. e. He thought black and white men sprung from the same original stock.

Luto] Clay. *Atque*] As.

Obsequii] Subjection.

Aliquandiù] For some time.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

Origo regiæ potestatis.—Robinson *abundat opibus.* —*Habet subditos.*—Friday *novo vivendi genere delectatur.*

Itaque *Robinson* signis gestuque socio intelligendum dedit, se illum quidem in tutelam suam recepisse, eâ tamen lege ut summam ipsi obedientiam præstaret, atque omnibus sedulò vacaret quæcumque dominus et rex novus jussisset. Ideò *Cacicum* se ipse appellavit, quoniam eo nomine barbarorum in Americâ principes ab istis vocari meminerat. Quâ voce meliùs quàm signis adhibitis *Friday* id intellexit quod suus ei dominus declarabat; et ut pateret se domino in servitutem semetipsum dicare, iterum iterumque nomen illud clarâ voce pronuntiavit, *Robinsonem* manu demonstrans,

In tutelam suam] Under his protection.
Eâ lege] On that condition.
Omnibus vacaret] Should be ready to do every thing.
Ut pateret] That it might be clearly seen.
Se semetipsum dicare] That he gave himself up.
Demonstrans] Pointing to, while he pronounced it.

pedibusque ejus advolutus est. Quin ut significaret se satis intelligere quanta esset vis regiæ potestatis, hastam arreptam domino porrexit, cuspide ad pectus suum directâ, atque hoc ipso declaravit *Robinsonem* vitæ necisque habere potestatem. Tum *Robinson* assurgens in regiam majestatem dextram subdito porrexit, jussitque secum cœnare. *Friday* dicto audiens fuit ita tamen ut ipse ad pedes *Robinsonis* humi, ille verò in suggestu graminis sederet.

Haud absimili ratione primi reges apud mortales extitêre. Viri nempe fuerunt sapientiâ, fortitudine atque corporis robore cæteris præstantiores. Itaque infirmiores, ut se ab impetu ferarum quibus initio terræ plurimùm infestabantur, aut ab injuriâ vique hominum se defenderent, confugêre ad potentioris auxilium. Pro quo præsidio, se eà quæ imperâsset facturos polliciti sunt, daturosque quotannis certam de fructibus agrorum partem, ut patroni, quibus non esset quærendum unde ipsi

Advolutus est] Prostrated himself.

Dicto audiens fuit] Obeyed. *In suggestu*] On a seat.

Itaque, &c.] Infirmiores confugerunt ad auxilium potentioris ut defenderent se, &c.

Initio] In remote times, at first.

Quibus non esset quærendum] Who were not to have the trouble of seeking.

victitarent, toti essent in salute subditorum propugnandâ. Quæquidem donaria regi a subditis quotannis tribuenda, tributa vocata sunt. Hinc regum potestas, et opes, hinc obsequia debitaque subditorum.

Jam verè *Robinson* rex fuit. Quippe insula erat pro regno, Lamæ fructusque pro ærario, *Friday* pro subdito, unico quidem sed carissimo, psittacusque pro aulico, sed ferè inutili. Placuit sæpè regi ad subditum usque descendere, quantùm regia dignitas pateretur.

Cœnâ confectâ, rex novus de cubiculis ritè disponendis mandata dedit. Parùm sanè *Robinson* consideratè egisset, si socio qui tam brevi tempore tot munera adeptus erat quippe qui esset subditus idem et minister, legatus et miles, præfectus copiarum et ædium, si, inquam, homini novo nec satis probato, secum in eâdem speluncâ recubandi licentiam dedisset. Etenim non satis tutum habuit vitam suam cæcumque subterraneæ viæ exitum credere externo et alienigenæ de cujus fidelitate

---

Toti essent] Might be wholly occupied.

Aulico] A courtier.

Qui tot munera adeptus erat] Who had obtained so many places, offices.

Præfectus copiarum et ædium] Captain and house steward.

Cæcum excitum] The secret passage.

nondum adhuc spectatâ non satis constabat. Itaque jubetur *Friday* ut idoneam fœni copiam in caveam transportet, sibique inde paret cubile; novus interea rex, ut securitati suæ consulat, arma omnia in cubiculum suum confert.

Tum *Robinsonem* non puduit in conspectu totius populi, humili ac prorsùs agresti ministerio fungi. Qui universæ, quaquà patebat, insulæ imperitabat, qui in suos omnes subditos vitæ necisque jus habebat, ille non erubuit, servilem in modum, regius manibus lamas ipse mulgere, ut ritè doceret ministrum, cui hanc provinciam posteà mandare in animo habebat. Hic verò quamvis rem attentè consideraret, quò tamen spectaret minimè intellexit. Quippe nec ille nec ejus populares, ut hebeti prorsùs erant ingenio, unquam suspicati fuerant lac animalium salubre æquè ac nutriendo corpori esse accommodatissimum; nunquàm hoc genus alimenti labris attigerat; itaque singularem cepit voluptatem, cum paululùm lactis a *Robinsone* oblatum hausit.

Variis autem hujus diei molestiis periculisque

Quaquà patebat] Whichever way it extended.
Servilem in modum] As a slave.
Mandare] To commit. *Hic*] Friday.
Quò spectaret] For what purpose.
Salubre æquè ac accommodatissimum] As wholesome as it was fit.

fessi ambo somni quietisque erant appetentissimi. *Robinson* igitur subdito mandavit ut ad lectum se conferret, tum ipse quoque eò se contulit. Priùs tamen quàm cubitum iret, noster non oblitus est gratias Deo agere quòd uno eodemque die tantis periculis defunctus fuisset, sibique similem sui, socium et, ut sperabat, amicum mississet.

Appetentissimi] Desirous.

Defunctus fuisset] He had escaped.

Sibique, &c.] Ordo. Quòd mississet sibi socium similem sui (*like himself, i. e. of his own species*) et ut sperabat, amicum.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Suspicio in lætitiam et admirationem versa.—Casus qui risum legenti movebit.—Rebus secundis adversæ levantur.

Postero die *Robinson* cum socio statim ad eum locum se contulit ubi hesternâ barbaros atrocibus epulis accumbentes viderat. Inter eundum eò devenerunt ubi ambo barbari a *Robinsone* interfecti arenâ obruti jacebant. *Friday* locum domino demonstrans apertè significavit quantùm gestiret cadavera ista eruere ut improbam carnis aviditatem expleret. Quem *Robinson* intuens torvo vultu, ei declarat quantùm a tali facinore ipse abhorreat, hastâque elatâ, infesto gestu, mortem ei denuntiat, si unquâm ille ejusmodi cibum attingeret. Quo quidem intellecto, *Friday* statim domino paruit, incertus tamen quam ob causam sibi epulis interdiceretur, quas a teneris non mediocriter appetierat.

Tunc ad locum convivii devenerunt. Heu!

Obruti] Buried.

Quantùm gestiret] How glad he should be.

qualis aspectus! terra cruore tincta! disjecta passim ossa! *Robinson* oculos avertit sociumque jubet terram statim fodere, tristesque barbarorum helluonum reliquias condere.

Dum ille mandata exequitur *Robinson* cineres sopitos attentè suscitabat, sperans se aliquam ignis particulam inventurum. Sed frustra. Erat ignis omninò extinctus; quoquidem *Robinson* magnoperè doluit. Ex quo enim divino munere socium sibi adjunxerat, nihil ipsi ferè optandum supererat præter ignem. Dum autem ille, capite inclinato, mœstoque vultu extinctos cineres aspicit, ecce *Friday* cùm dominum cogitatione defixum animadvertisset, nonnulla signa dedit quæ *Robinson* non intellexit; tum subitò arreptâ securi, citatissimo cursu sylvam petit intimam, *Robinsonem*que relinquit obstupescentem.

Quid hoc sibi vult? ait secum *Robinson*, dum euntem anxiis prosequitur oculis. Me ne homo deserat, et ablatâ securi aufugiat? an ille sit tam perfidus ut meum habitaculum occupet, ut me ipsum vi inde arceat, et popularibus suis inhumanis prodat. Proh scelus! statimque inflammatus irâ

Helluonum] Gluttons.
Cineres sopitos] The dead ashes.
Ex quo.] Ex *tempore* quo.
Me ne homo deserat] Will the fellow leave me.

hastam corripit, ut proditorem persequatur, nefariaque consilia et puniat et prævertat. Dum sic de fide barbari timet, videt hominem citatissimo cursu redeuntem. *Robinson* sistit gradum, miraturque eum quem proditionem machinari suspicatus fuerat, sublatum graminis aridi manipulum tenere unde fumus oriebatur. Jam in flammam erumpit; et *Friday* manipulo in terram projecto, addit diligenter majorem graminis aridi atque sarmentorum copiam, clarumque et ardentem ignem succendit; quodquidem non minorem *Robinsoni* lætitiam quam admirationem movit.

Tum compertâ causâ propter quam *Friday* subitò excurrerat, cùm ipse tantam lætitiam capere non posset, hic illum amplexus osculatusque tacitè rogat præconceptæ suspicionis veniam.

Scilicet *Friday* diligenter sylvam petierat ut e trunco arido duo ligni fragmenta excideret. Quæ ille scitè alterum altero colliserat tantâ celeritate ut ignem conciperent. Tum citiùs lignis arido

---

Sistere gradum] To stop; and observe, Corripere gradum, to hasten.

Miratur] Beholds.

Sublatum manipulum] Having taken up a handful.

Unde] From which. *Sarmentorum*] Dry boughs.

Capere] To contain *Scitè*] Cleverly.

Tum citiùs, &c.] Enveloping as quick as possible the wood in dried grass.

gramine involutis, cum isto manipulo procurrerat, quâ motûs velocitate exarserat fœnum.

Tantoperè agitatione flammarum *Robinson* delectatus est ut illarum aspectu satiari non posset. Tandem arreptâ tædâ, comite *Friday*, in habitaculum properat.

Tum igne accenso, nonnullisque solanorum tuberibus circa focum positis, ad gregem festinat; lamæ pullum eligit, mactat, dissecat, quartamque ejus partem veru affigit quod socio versandum mandat.

Intereà dum ille hoc munere fungitur, *Robinson* segmentum pectoris amputat; tum nonnulla tubera probè lavat, manipulumque Zeæ duobus saxis adhibitis molit; hæc omnia ollæ committit, in quâ, addito sale, idoneam aquæ partem infundit, ac demùm olla igni apponitur.

Friday istum omnem apparatum cernebat, nec intelligebat quò res spectaret. Noverat quidem usum assandi, sed nunquàm de arte coquendi audiverat, quin etiam ignorabat quænam esset vis ignis in aquam ollæ infusam. Quæquidem fervere cœpit, cùm *Robinson* paululùm in speluncam secessisset. *Friday* obstupuit, miratus quid esset quod sic aquam moveret.

Segmentum] A slice.

In aquam ollæ infusam] Upon water poured into a pot.

Fervere] To boil.

Cùm verò eam vidit exæstuantem et undequâque exundantem, stultè putavit animal in ollâ esse quod istum de repente æstum excitaret. Ut autem impediret ne omnis ab ollâ aqua effunderetur, manum celeriter immersit ut animal noxium caperet. Tum verò clamorem et ululatum edidit quo tota personuit spelunca. Hoc audito *Robinson* valdè exterritus est, existimans a barbaris supervenientibus socium opprimi. Itaque timor et insitus in animis propriæ salutis amor suadebant ut per subterraneum cuniculum effugeret. Mox autem consilium abjecit, turpe ratus subditum aut potiùs amicum ancipiti periculo deserere. Sine morâ igitur e speluncâ prorupit armis instructus paratusque vitam ipse suam profundere, ut comitem e manibus barbarorum iterum eriperet.

Ut verò obstupuit, cum hominem solum, amentis instar, ululantem gestuque insolito circùmtrepidantem vidit! Diu quoque *Robinson* dubius anxiusque hæsit. Re demum explanatâ, intellexit omne malum ex eo esse quòd manum sibi *Friday* leviter usserit. Nunquàm ille neque audiendo,

Exæstuantem] Frothing up.
Exundantem] Running over.
Æstum] The motion.
Supervenientibus] Rushing in unexpectedly.
Et insitus, &c.] Et amor propriæ salutis insitus in animis.
Amentis] One beside himself. *Usserit*] Uro, ussi.

neque experiendo cognoverat aquæ fervorem addi posse; nunquàm manu tetigerat aquam fervidam; itaque non potuit intelligere quæ causa esset doloris ejus quem manu in aquam immersâ sensit. Sic igitur magicâ quâdam arte hoc fieri dominumque magum esse existimavit. *Robinson* ægrè animum socii sedare eique persuadere potuit ut denuò carni veru versandæ assideret. Ille mandato tandem obsecutus, ollam non sine horroris quodam sensu, dominum verò quem humanâ conditione majorem nunc putavit, timidâ cum reverentiâ contemplatus est. Quamquidem opinionem albus color, promissaque barba etiam confirmabant. Hæc enim efficiebant ut *Robinson*, specie oris, longè differret à socio ejusque popularibus, fuscum colorem et imberbem vultum præferentibus.

Jam verò prandium paratum erat. Quantoperè *Robinson* calidis et pinguibus cibis delectatus sit facile est intelligere. Nunc quoque calamitatum præteritarum oblitus sibi in animo fingit jam non desertâ in insulâ, sed in regione frequentissimâ se

---

Aquæ] Fervorem posse addi aquæ. *Quem*] Scil. dolorem.

Ollam, &c.] Ordo. Non contemplatus est ollam sine quodam sensu horroris, verò (*contemplatus est*) dominum timidâ reverentiâ, quem nunc putavit majorem humana conditione (*more than mortal.*)

Ejusque popularibus] From Friday's countrymen.

Frequentissimâ] Populous.

versari. Sic animi vulnera insperato quodam gaudio sanari solent, etsi illa plerumque insanabilia putamus.

Prandio confecto *Robinson* secessit ut de prosperâ rerum suarum commutatione secum ipse meditaretur. Nunc omnia ei arridere visa sunt. Quippe qui jam non esset homo solitarius socioque gauderet, quîcum nondum quidem colloqui, sed excujus consuetudine multum solatii opisque licebat expectare.

Et verò cogitanti venit quidem in mentem vitam mollem atque otiosam agere, dum intereà *Friday* juvenis robustusque, de quo prætereà tam benè meritus fuerat ut eum sibi famulum jure quodam vindicaret, necessariis muneribus laboribusque perfungeretur. Sed cum intùs reputasset fieri posse ut aliquandò tàm felici ipse conditione excideret, tunc verò si otio atque inertiâ corrumpi se pateretur, molestum sibi fore ad duritiem paupertatemque prioris vitæ redire, statuit in labore

---

Quicum nondum quidem colloqui] With whom indeed he could not yet converse.

Ex cujus consuetudine] From whose company.

De quo prætereà, &c.] Who likewise owed him so much, *viz.* for saving his life.

Ut jure quodam vindicaret] That he had a kind of claim on him.

Aliquando excideret] Some time or other he might be removed from.

æquè gnaviter ac strenuè perseverare, atque hoc decreto, e strato exilit, citatoque gressu in vestibulo domicilii obambulat. Intereà *Friday* ciborum reliquiis in cella sepositis, *Robinsonis* jussu ad lamas mulgendas abit.

Hoc decreto] As soon as he had made this resolve.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Robinson *habitaculum fossâ et palis munit.—Docet socium* Anglicè *loqui.—Ambo scapham fabricare statuunt.*

NUNQUAM sanè, ex quo hanc in insulam advenerat, lætior fuerat *Robinsonis* conditio. Hoc unum erat illi metuendum, ne barbari reverterentur ad socios repetendos, unde novis cruentisque prœliis sibi cum iis certandum foret. Quin ille cohorruit, dum cogitaret in hoc ancipiti discrimine posse se versari, in quo sibi pereundum esset aut sanguis hominum profundendus.

Res igitur postulabat ut ad suam ipsius defensionem nihil intentatum relinqueret. Jam diu habitaculum suum castelli instar munire optaverat; huc usque verò, quandiu vixerat solitarius, hanc spem penitùs abjecerat. Nunc autem, cùm adesset socius laboris faciliùs hoc aggredi potuit. Itaque

Ex quo] Ex tempore quo.

In hoc ancipiti discrimine] In this unpleasant dilemma.

Aggredi] Undertaken.

montis cacumen conscendit ut meditaretur quomodo se tutiùs firmiùsque muniret; atque hoc brevi excogitavit, cùm inde totam regionem oculis complecteretur. Statuit primùm fossâ latâ altâque domicilium cingere, palis validioribus septâ, ac deinde rivum non procul ab habitaculo scatentem ita dividere ut altera pars in fossâ, altera per medium atrium flueret, ne unquàm obsidione cinctus aquæ inopiâ laboraret.

Haud facile erat hæc omnia socio signis indicare. Hic verò cùm rem aliquâ ex parte intellexisset, ad littus procurrit atque inde retulit varia instrumenta fodiendo apta, conchas scilicet magnas, lapidesque planos et acutos. Tum ambo opus inchoant.

Jam intelligere satis in promptu est hoc quoque arduum fuisse. Fossa enim, ut esset idonea, sex pedum altitudinem, octo verò latitudinem requirebat. Ejus autem longitudo octoginta vel centum passus esse videbatur. Adde illos instrumentis ferreis, ligone, spathâ penitùs carere. Palis quoque quadringentis ferè opus erat, quos unâ securi siliceâ coaptare et præacuere res erat profectò plena operæ et laboris. Prætereà ut rivum in

---

Inde] From thence.

Palis] Stakes.

Satis in promptu est] It is very easy.

Coaptare] To prepare, and render fit for the purpose.

fossam deducerent, canalis erat per tumulum quemdam interpositum fodiendus.

Neque tamen, licet omnibus his difficultatibus circumventus *Robinson* a proposito deterritus est. Sobriè quoque vivendi genus et corpus labore exercendi consuetudo animum ei addiderat, quo carere ii solent qui in otio educati, deliciis atque mollitie diffluunt.

Ambo nimirùm socii a summo mane usque ad vesperam non alacri minùs quàm strenuo animo operi incumbunt, mirum itaque quántùm vel instrumentis quàm minimè aptis adjuti in diem profecerint; nec per duos menses continuos, vento obstante, barbari insulam invisêre. Itaque licuit sociis continuam operam munimentis dare, nec illis opus fuit sibi contra repentinam incursionem præcavere.

Robinson comitem, inter opus faciendum, Anglicam linguam docuit, cujus ope animi cogitata cum socio communicare ardentissimè cupiebat. Hic autem tam docilem et attentum se præbuit ut brevi tempore maximos progressus fecerit. In quo *Robinson* eâdem arte usus est quâ solers magister ut linguam Latinam Gallicamve discipulos doceat. Quoties nempè fieri potuit, eâ re de quâ sermo

---

Interpositum] Lying between.
Diffluunt] Are as it were dissolved.
Invisere] Visited. *Procavere sibi*] To guard.
Quâ, &c.] Quâ solers magister *utitur*.

erat positâ antè oculos, distinctâ voce nomen ejus pronuntiabat. Cum verò de ejusmodi rebus ageretur quæ oculis subjici non poterant, vultu gestuque ita exprimere studuit, ut *Friday* anno dimidio nondum exacto *Robinsonem* intelligere, cogitationumque participem eum facere posset.

Quodquidem multum *Robinsonis* felicitati adjecit. Huc usque enim socium quidem, sed mutum eum habuerat; tum verò amicum sibi comparavit. *Friday* enim semper, honestum, candidum, fidelem, gratumque domino se præstitit. Itaque *Robinson* cariorem eum in dies habuit, ac brevi tempore elapso non dubitavit hoc ei concedere ut in eâdem speluncâ secum pernoctaret.

Duorum ferè mensium spatio fossa absoluta fuit; quo facto, ita muniti erant ut jam barbarorum impetum non modò non extimescere, sed eos etiam, si unquâm oppugnarent arcem, possent repellere; priùs enim quàm ullus fossam transiret aut palos superaret, ab obsessis aut sagittis interfici, aut hastis transfodi impunè poterat. Itaque securitati suæ nunc satis consuluisse videbantur.

Cùm non ita multò post *Robinson* sociusque collem littori vicinum fortè conscendissent, undè

Cum ageretur] When the discourse turned upon.

Transfodi impunè poterat] He could be shot or stabbed without danger.

maris aspectus lòngè et latè patebat, *Friday* oculos in quamdam ejus partem intendit, ubi insulæ aliquot eminentes conspici e longinquo poterant. Tum ille subitò præ lætitiâ exultare atque mirum in modum gestire cœpit. Quâ de re interrogatus â *Robinsone* lætus ille exclamat! En ego patriam aspicio! ibi gens mea habitat. Vultu verò, oculis, gestuque significabat quàm cara sibi esset patria, ac quantoperè illam revisere optaret. Quod quidem *Robinsoni* minimè placuit. Erat sanè affectus ille animi in viro laudabilis, quo declarabat caram esse patriam, caros amicos, caros parentes. Nascitur enim nobiscum sensus ille et, quæcumque illa sit quam primo quisque cognovit intuitu, vel signavit vestigio, nulla magis regio arridit. Sed veritus ne popularium amantior ipsum aliquandò desereret, animum ejus pertentare voluit et sic colloquium cum eo iniit, ex quo optima ejus indoles patuit apertiùs.

Robinson. Num tu ad populares tuos redire et cum iis habitare malles?

Friday. Libenter equidem eos reviserem.

Quæcunque illa, &c.] Quæcunque illa regio sit, &c.
Cognovit primo intuitu] First beheld.
Signavit vestigio] First set foot upon.
Popularium amantior] Preferring his countrymen.
Indoles] Disposition.

Rob. Scilicet optares carne humanâ cum iis esci?

Fri. Minimè! eos potius ad mores humaniores raducerem, doceremque vesci lacte et carne animalium, et inprimìs ab humanâ abstinere?

Rob. Quid? si te ipsum devorarent?

Fri. Hoc illi non facient.

Rob. Attamen illi vescuntur carne humanâ?

Fri. Sanè illi quidem; sed nonnisi carne iostium.

Rob. An tu scapham conficere potes quâ ad eos transveharis?

Fri. Sanè quidem!

Rob. Euge! confice tibi scapham atque ad llos revertere. Quid? dejicis oculos; unde sic loles?

Fri. Doleo quippe, quòd dominus mihi carissimus irascatur.

Rob. Cur vero tibi irascar?

Fri. Ita res est; quippe ille me a se relegatum velit.

Rob. Anteà vero optabas redire in patriam?

Fri. Optavi equidem; nisi verò dominus meus ibi mecum versetur, ibi quoque ego versari nolim.

Sanè illi quidem] Scil. vescuntur.
Transveharis] One might be conveyed over.
Relegatum] To banish.
Versetur] Should go, or should be.

Rob. Me quidem populares tui hostem existimantes interficient devorabuntque; tu igitur solus proficiscere!

Quibus auditis *Friday* arreptam securim domino reddit porrectâ cervice.

Rob. Quid vis ego faciam?

Fri. Ut me interficias. Malim ego à te interfici quam relegari!

His dictis *Friday* vim lacrymarum profundit. *Robinson* autem vehementissimè commotus eum amplectitur, exclamans: noli timere, ô bone! Ego quoque opto ut nunquam a te divellar; ex animo enim te diligo. Quæ anteà dixi, hæc ad fidem tuam explorandam dicta sunt, ut intelligerem an tuus meo amori amor par esset. Quas vides lacrymas eæ testes sunt caritatis meæ. Ego te iterum amplectar; fletum teneamus nec alter alterum unquàm deserat.

Itaque ut animum amici a mœrore averteret, init sermonem de scaphâ quâdam fabricandâ, pluraque eâ de re sciscitatur. Cùm *Friday* responsis *Robinsoni* abundè satisfecisset, hic illum manu prehensum secum abduxit ut ostenderet cymbam cui fabricandæ ipse permultos jam annos impenderat. *Friday* truncum intuens vix tertiâ parte excavatum subrisit. Cùm autem *Robinson* ex eo

---

Fletum teneamus] Let us give over weeping.
Sciscitatur] Inquires.
Cui fabricandæ] In making which.

quæsisset, quidnam illi in hoc opere minùs probaretur, *Friday* respondit minimè opus fuisse tanto isto labore, ejusmodi truncum intra paucos dies meliùs excavari posse.

Quibus auditis *Robinson* vehementer lætatus est. Jam cymbam omninò confectam sibi fingebat animo et navigatione feliciter peractâ ad continentem terram appellere sibi videbatur. O quanta illi lætitia, cùm spes libertatis recuperandæ arrisit; et subitò constituunt opus proximo mane aggredi.

Quidnam illi minùs probaretur] What he disapproved of.

Terra continens] The continent.

Appellere] To land.

Arrisit] Beamed on his mind.

CAPUT VIGESIMUM.

Pluviarum tempus.—Socii nectunt stragulas.—Retia.—Cymba conficitur.

Ipsa die operi destinatâ, aderat pluviarum tempus; quod bis per annum ingruere *Robinson* non unius anni experientiâ didicerat. Quo tempore per duos menses perpetuos nulli negotio vacare extra domum licebat; tantâ vi, continuus imber ruebat de cœlo! animadverterat quoque *Robinson* esse valetudini omninò contrarium illâ tempestate foras exire. Quid igitur faciendum erat? Dilatâ navis confectione, tempus in laboribus domesticis consumendum fuit.

Quantùm profuit *Robinsoni* per dies illos pluvios, atque horas vespertinas longas easdem obscurasque igne uti et lumine amicumque habere quîcum tempus inter opera domestica jucundis confabulationibus traduceret. Anteà enim tristes istas noctes solitarius in otio et tenebris degerat. Jam verò cum socio ad lampadem et focum sedens, in aliquâ

Ingruere] To come—to happen.
Non unius anni] Of more than one year.
Dilatâ] Being thus necessarily delayed.

re gerendâ occupatus confabulatur neque unquàm gravi desidiæ pondere opprimitur.

Atque ex socio didicit varias artes quibus barbari nonnullas sibi commoditates comparant; *Robinson* quoque multa illum docuit quæ barbaris latent. Ita in dies peritiores facti multa junctâ operâ confecêre, quæ neuter solus suscipere potuisset. Tum ambo intellexêre quanta ex hominum amicâ conspiratione oriantur commoda quibus illi carerent, si bestiarum more singuli vagarentur. Inprimis *Friday* artem callebat quâ tenues densasque libro stragulas necteret corpori vestiendo aptissimas. Quod cùm *Robinson* ex eo didicisset, tum illi certatim tam multas ejusmodi texuerunt, ut idoneum utrique vestimentum suppeteret. O quàm jucundum *Robinsoni* fuit abjicere amiculum istud molestum, e pellibus rigidis nec subactis confectum quo huc usque corpus ipsi tegendum fuerat.

Friday etiam e fibris nucum cocossæ variisque herbis lini naturam referentibus fila educendi artem

---

In dies] Daily.

Junctâ operâ] By joint labour.

Ex amicâ conspiratione] From the friendly intercourse.

Callebat] Was skilled in.

Libro] From the inside bark of a tree.

Stragulas] Garments. *Subactis*] Not dressed.

Lini naturam referentibus] Something like flax.

tenebat, quæ funiculos a *Robinsone* huc usque confectos longè superabant. E filis retia piscatoria proprio ac singulari artificio nectebat; quibus in operibus fabricandis breviores factæ sunt vesperæ quæ, omnibus his deficientibus, multùm ipsis tædii attulissent.

Intereà dum sedent, *Robinson* amici ingenium rude sensim excolere, ejusque mentem certâ verâque notitiâ Dei imbuere. Quantis verò erroribus mens illius hâc in re laboraverit ex sequenti confabulatione facile erit intelligere.

Rob. Dic mihi, quæso, ô bone nostine quis mare, quis terram, quis animalia, te ipsum denique creaverit?

Fri. Profecto! *Toupan* ista creavit?

Rob. Quisnam est *Toupan* ille?

Fri. Is qui tonat.

Rob. Quisnam verò ille est qui tonat?

Fri. Senex est ætate provectissimus qui omnibus cæteris rebus superstes est quique tonitru efficit. Ætate solem, lunam stellasque longè superat, omnesque animantes eum adorant, O! dicentes.

Rob. Quemnam in locum post mortem commigrant tui populares?

Fri. Ad *Toupan* revertuntur.

Rob. Ubinam verò ille habitat?

Excolere] To polish, cultivate.
Qui superstes est] Who has survived.

Fri. In excelsis montibus.

Rob. Num aliquis eum ibi vidit?

Fri. Nemini fas est eum adire nisi *Owakakeis*, id est sacerdotibus. Illi O! dicentes eum interrogant, ac deinde nobis referunt ejus responsa.

Rob. Qui autem post mortem ad eum migrant, num felicitate aliquâ fruuntur?

Fri. Sanè illi quidem, si magnam hostium copiam mactaverint atque comederint.

Quo audito *Robinson* cohorruit statimque illum meliora de Deo vitâque futurâ docere cœpit; Deum nempe esse omnipotem, sapientissimum, benignissimumque; qui omnia creaverit, omnia regat, omnibus consulat; ipsum autem nunquàm originem habuisse, ubique adesse, illum intelligere quæcumque nos cogitamus, audire quæcumque loquimur, videre quæcumque agimus, quamvis ipse a nemine videri queat; habere proborum atque improborum rationem; eamque ob causam cùm in hâc, tum in futurâ vitâ neminem beatum reddere nisi illum qui ex animo virtuti studuerit.

Quæ præclara plenaque solatii præcepta *Friday* magnâ cum reverentiâ, audiit, auditaque altè in animo infixit. Cùm magister non minori docendi,

Habere rationem] Takes account.
Studuerit virtuti] Shall have loved virtue.

quàm discipulus discendi studio flagraret, hic brævi præcipuam de Deo ac religione doctrinam tenuit, quantùm huic ille explanare poterat. Ex eo tempore *Friday* felicissimum se existimavit quòd in hanc insulam deferri sibi contigisset.

Posteâ *Robinson* preces suas semper præsente socio fundere solebat, jucundissimumque aspectu fuisset, quanto gaudio, quantâ pietate hic verba domini ad verbum sequeretur. Tunc verò tantâ ambo felicitate fruebantur quantam assequi possunt homines ab humanâ societate sejuncti. Sic elapsum est pluviarum tempus ullâ sine molestiâ. Cœlo tandem serena facies redierat; cessabant venti nimbique aufugerant. *Robinson* cum fido socio puram tepidamque auram veris spirat. Ambo novis viribus auctos se sentiunt, atque alacri animo ad arduum opus susceptum se accingunt.

Friday admoto igne truncum excavavit, atque duos intra menses id absolvit quod ægrè multorum annorum spatio *Robinson* solus confecisset. Jam præter vela remosque nihil defuit. Hos quidem *Robinson*, illa verò *Friday* paraturum se spondet.

Ambo simul opus susceptum absolvêre; sed instructâ navi, nihil superfuit nisi ut hæc a littore

Studio flagraret] Burned with the love.
Aspectu] To be seen.

in mare demitteretur. Quoniam verò locus in quo navem fabricaverant longè a mari distabat, non satis patebat quâ ratione, ut erat gravissima, ad mare aut deduceretur, au deportaretur, aut traheretur, aut denique provolveretur. Et nunc ex illis difficultatibus, quomodo se expedient?

Neque verò *Robinson* oblitus erat utilitatis quam longa pertica ipsi præstiterat. Quam ob rem nunc quoque illam adhibuit. Sed navis tam lentè provoluta est, ut facilè intelligerent se integrum mensem in hâc operâ consumpturos esse.

Tandem opportunè recordatus est alius instrumenti æquè simplicis parabilisque, quo fabri lignarii aliique in Europâ uti solent ad magna pondera promovenda, *cylindri* nimirùm.

Quod quidem vix *Robinson* expertus magnâ cum lætitiâ vidit quàm facilè navis promoveretur. Post biduum mari quoque committi potuit, magnoque cum voluptatis sensu uterque comperit illam ad navigandum prorsùs esse idoneam.

Jam nihil superfuit nisi ut quæ ad proficiscendum essent necessaria pararentur, scilicet ut navis tot oneraretur commeatibus quot vehendis sufficeret.

Pertica] A pole or lever.
Parabilis] Easy to be got.
Fabri lignarii] Carpenters.
Cylindri] A roller.
Ad proficiscendum] For the voyage.
Vehendis] For those who were to sail in her.

ret. Quònam verò illi tendent? *Friday* optabat ut in patriam rediret; *Robinson* autem ut ad continentem Americæ vela darentur, ubi se Hispanos, aliosque ab Europâ profectos inventurum sperabat. *Friday* verò patria nonnisi quatuor circiter milliaribus aberat, terra continens duodecim aut quindecim. Quod si priùs ad insulam tenderent, tunc a continenti terrâ pluribus adhuc milliaribus recedebant, atque hoc ipso periculum itineris augebatur.

Friday nihil ex iis quæ pertinent ad naturam maris noverat nisi quod necesse esset ut ad insulam suam perveniret. Ista autem magis etiam *Robinson* ignorabat, quoniàm in hoc mari nunquàm navigaverat.

Tandem quâ *Robinson* ardebat homines humanitate excultos revisendi cupiditas omnem dubitationem vicit. Quamvis *Friday* instaret multaque et varia objiceret, statutum est proximo die iter parare, ut ubi primùm ventus aspiraret, vela dare Deoque favente illuc tendere ubi *Friday* sperabat se proximam continentis oram inventurum.

Tendent] Bend their course.

Tandem, &c.] Cupiditas quâ Robinson ardebat revisendi, &c. vicit.

Humanitate excultos] Of civilized society.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Robinson *et* Friday, *insulâ relictâ, mari se committunt.—Summa pericula in quibus versantur.*

Robinson, arce relictâ, in tumulo imminente restitit, secum paulisper meditaturus, sociumque præire jussit. Tum vitæ solitariæ hîc actæ vicissitudines mente repetit ac recordatus quanta accepisset a supremo numine beneficia, lacrymas grati animi indices effundit, manibusque expansis, ex intimo pectore summâ cum pietate Deo gratias agit.

Tum regionem illam, eò sibi cariorem quòd eam mox relicturus erat, oculis perlustravit, hominis instar qui patriam linquit nullâ cum spe illius unquâm revisendæ. Oculi tristes madentesque in arbore quâvis cujus umbrâ olim recreatus fuerat, in opere quolibet quod propriis manibus multoque sudore confecerat, defixi hærent. Ab amicis disjungi sibi videtur. Cùm verò tandem lamas ad

Mente repetit] Called to mind.
In arbore quâvis] Upon every tree.
In opere quolibet] Upon every work.

imum montem pascentes conspexisset, faciem avertit ne carissimorum sibi animantium aspectu ipse à proposito consilio avocaretur.

Tandem vicit caritatem animi constantia; ad fortitudinem se ipse exacuit, ulnisque ad regionem totam, veluti eam amplexurus, expansis, clarâ voce exclamavit: Valete o calamitatum mearum testes! Valete! atque hoc ultimo vale inter singultus emisso, in viam quæ ad littus ducebat, se contulit.

Eundo fidissimum sibi psittacum per arbores volitando sequentem animadvertit. Tum verò victus voluntate ejus secum abducendi, vocat *Pole, Pole.* Ille vero celerrimè desilit; atque e domini manu in humerum provolat. Interea *Friday* moræ impatiens in littore expectabat, cùmque *Robinson* ad eum pervenisset, ambo navem conscendunt.

Tricesimo die novembris, horâ octavâ matutinâ, anno post *Robinsonis* in hanc insulam adventum nono, cœlo serenissimo, ventoque maximè secundo profecti sunt. Vix autem circiter duo millia passuum progressi, ad continuam scopulorum seriem pervenere longè in mare procurrentem. Uterque periculosum putavit saxa ista superare. Itaque

Animi constantia] His resolution.

Ulnis] His arms.

Ad continuam] Pervenêre ad continuam seriem scopulorum quæ procurrebat longè in mare.

Superare] To pass over.

velo in aliam partem directo, circumire nituntur. Cùm autem illi extremam partem scopulorum vix attigissent, scapham summà cum velocitate abripi animadvertunt; exterriti ambo velum colligere, existimantes quippe repentinum esse venti impetum. Frustra verò; scapha enim in præceps prona rapitur, medioque in *flumine marino* versari se intelligunt.

Tum ambo viribus conjunctis remis pertinaciùs mare verberare, si possint scapham eripere. Illa verò fugit instar sagittæ, tantâ celeritate ut brevì ora insulæ oculis subtraheretur. Jam in discrimen vitæ se pervenisse sentiunt. Nec multò post summa quoque montium cacumina ex aspectu recessêre. Quòd si tunc etiam impetus paululùm remisisset, actum tamen de illis erat, quippe qui, cùm carerent *pyxide nauticâ*, viam invenire non possent quâ ad insulam reverterentur. Quid autem tetrius excogitari potest quàm medio in oceano scaphâ exiguâ fragilique vectos jactari et solo aliquot dierum victu instructos.

Quanto autem præsidio sincera pietas integra-

Abripi] Hurried along.
In præceps prona rapitur] Is drawn swiftly forward.
Flumen marinum] A current like a river.
Ora The shores.
Pyxide nauticâ] A mariner's compass.
Solo victu] With only sufficient provision.

que animi conscientia iis sit qui in calamitatibus versantur, nunc documento est *Robinsonis* conditio. Quibus si noster tunc caruisset, quomodò malorum vim denuò urgentem sustinuisset? In hâc rerum desperatione manus sibi intulisset violentas ne morte omnium sævissimâ, fame scilicet, necaretur.

Socius verò pietate nondum satis confirmatâ nec diuturnis calamitatibus spectatâ, de salute prorsùs desperabat. Corporis enim et animi viribus fractis remum abjicit, vecorsque et amens dominum intuetur interrogans, annon satiùs sit e nave se præcipites in profundum dare, ut morte celerrimâ instantibus malis se eripiant. Initio *Robinson* blandis verbis eum erigere firmareque tentat; tum castigator desperationis leni voce exprobrat, quòd tam parùm Deo benignissimo confidat, eique revocat in mentem quæ ipsum de divinâ providentiâ docuerat. *Friday Robinsonis* cohortationibus permotus erubuit, remisque receptis ambo flumen subigere, nec brachia remittere, etsi nulla spes salutis affulgebat. Debito, inquit *Robinson*, officio fungimur. Quandiù spiritus non deficit, nostrum est

Quibus] Quibus *præsidiis.*
Ne neccaretur] To prevent his perishing.
Spectatâ] Tried, proved. *Vecors*] Frantic.
Se præcipites dare] To throw themselves headlong.
Subigere] To beat, as in rowing.
Quandiù spiritus non deficit] As long as breath lasts.

ad vitam servandam omnibus quæ supersunt nervis eniti. Tunc, si ad ultimum moriendum est, morientibus erit solatio, quod Deus sic voluerit.

Intereà flumen eâdem cum violentiâ ruit. Scapha æstu abripitur, omnisque spes salutis recuperandæ evanescit.

Verùm enimverò cùm jam mortales animis deficiunt, cùm sunt ab omni spe destituti, tunc alma numinis providentia iis præsentius auxilium atque insperatam salutem afferre solet. *Robinson* ipse exhaustus remum agere desierat, cùm subitò animadvertit scapham cursu ferri non tam rapido, nec tam turbidum mare esse. Mox e superficie undarum intelligit flumen eo loco dividi haud æqualiter, maximamque ejus partem ad septentrionem incitatiùs ferri, alteram tardiorem, quâ scapha nunc vehitur, reflectere se et convertere ad meridiem. Jam incredibili lætitiâ perfusus, socium exanimatum excitat his verbis: Macte animo, *Friday*, vult Deus nos bene sperare! atque eum docet unde hanc in spem adductus sit. Tum

---

Æstu] By the force of the current.

Præsentius auxilium] More prompt assistance.

Incitatiùs ferri] Was carried rapidly.

Quâ scapha nunc vehitur] By which current the boat was at that moment being borne along.

Reflectere se] Was bending.

Macte animo] *Esto*, understood; Take courage.

ambo remos denuò arripiunt quos propter infirmitatem anteà abjecerant. Jam dulci atque inopinatâ salutis spe recreati, vi summâ et incredibili adversùs flumen nitentes, læti animadvertunt laborem suum non esse irritum. *Robinson* qui diuturnâ malorum exercitatione didicerat nihil omittere, ventum quoque nunc secundum esse animadvertit. Extemplò velum expandit; brevìque tum vento tum acri remigio impulsa in mare tranquillum scapha delata est.

Friday præ gaudio exsilit dominum amplexurus. Ille verò eum rogavit nimium lætitia impetum cohiberet: superesse aliquid agendum et hoc quidem non mediocre, donec essent ab omni periculo tuti. Eò usque enim in altum devecti fuerant ut insulam, ceu punctum aliquod in extremâ parte remotum, obscurè conspicerent.

Dum sic ambo ingenti alacritate remigant, vento secundo impulsi ad eam insulæ partem quæ orientem spectat, brevì montium cacumina rursùs eminentia vident. Macte puer, ait *Robinson* socio sedenti in prorâ, vultu ab insulâ averso, macte animo, adest finis malorum. Quibus vix etiàm

---

Irritum] In vain.

Brevìque] Ordo. Brevìque scapha impulsa tum vento tum acri remigio, delata est in tranquillum mare.

Eò usque in altum] So far out to sea.

dictis, novus subitò et major pristino terror incutitur ; scapha enim tam vehementer acta est, ut ambo remiges sedibus in infimam scaphæ partem deturbarentur. Illa repentè hæsit in vado, undisque operta est superfusis.

Ambo remiges] Both the rowers, *i. e.* Robinson and Friday.

Deturbarentur] Were thrown down.

Illa] The boat. *In vado*] On a shallow.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Ambo e periculo se expediunt.—Reversi in insulam, hortum colunt.—Piscantur.—Natant.—Venantur.—Novum iter suscipiunt.

Robinson celerrimè remo fundum aquæ scrutatur. Quem cùm satis firmum invenisset, aquam verò duobus tantùm pedibus altam, illicò e scaphâ se projicit. *Friday* sequitur et ambo aliquantisper confirmati sunt, cùm animadverterunt cymbam in arenâ non in saxo hærere. Tum viribus conjunctis illam levare eòque impellere ubi major erat aquæ altitudo. Quod ex voto cessit. Navis quippe agi incipit, amboque in eam rursùs conscendunt.

Aquâ igitur, quantùm manibus remisque fieri potuit, exhaustâ, cautiùs agere cœperunt contractoque velo remis tantùm uti, ut navem certiùs regerent. Attamen per quatuor horas integras, multus labor ipsis exsudandus fuit ut finem are-

Fundum] The bottom.
Levare] To lift her out.
Exhaustâ] Being laded out.

narum assequerentur. Tandem mari libero potiti omnibusque viribus connisi ad insulam tendunt quæ jam propè ante oculos erat, et quò propiùs spes admovebatur, eò magis crescebat ardor animorum; ac denique insulam capiunt, cum jam umbræ summis de montibus caderent. Tum in terram descendunt eò majore cum gaudio, quò propiùs metum res fuerat.

Cùm uterque hoc die cibis planè abstinuisset, in littore statim considerent, sumptisque commeatibus quibus navem instruxerant, corpus reficiunt. Tum scapham in angustum maris sinum protrahunt; cætera vero quæ in nave secum habuerant, domum reportant.

Proximo die, *Robinson* socium compellat his verbis: heus, inquit, est-ne tibi animus novum mecum periculum tentare?

Friday. Minimè sanè!

Robinson. Statuisti ergò vitam hâc in insulâ mecum traducere?

Fri. Modò pater meus hîc etiam nobiscum versetur.

Rob. Ergòne pater tuus etiam nunc vivit?

Ut assequerentur] That they might get to.

Quò propiùs, &c.] The nearer their hope was to being realized.

Compellat] Accosts.

Modò pater versetur] So my father should be.

Fri. Dummodò interìm non sit mortuus.

His dictis *Friday* vehementer commotus, emisso solanorum tubere quem manu tenebat, flevit abundè. Nec ipse suorum quoque memor *Robinson* a lacrymis abstinere potuit; amboque, animo pariter affecti, aliquandiù siluêre.

Rob. Bono sis animo, *Friday!* pater tuus etiam nunc profectò vivit; proximè ad eum proficiscemur, atque hùc illum transvehemus.

His dictis *Friday* tantâ effertur lætitiâ ut jam continere se nequeat; clamore, gestuque significat quibus exultet gaudiis, oppressâque crebris singultibus voce genua domini amplectitur.

Friday cùm sedato paululùm animo ad se rediisset, *Robinson* eum interrogavit an viæ in patriam insulam ducentis gnarus esset, ne temerè anceps vitæ discrimen rursùs adirent. Ille verò respondit iter habere se ita exploratum ut vel noctu illud suscipere auderet; sæpiùs enim se cum popularibus hùc ad celebrandas victorias venisse.

Rob. Tunc igitur cædis particeps fuisti, cùm homines mactaverunt quibus epularentur?

Dummodò] Unless.
Interim] Since I have been with you.
Suorum] Of his own friends. *Ducentis*] Which led.
An gnarus esset] Whether he knew.
Habere se exploratum] That he was acquainted with.
Quibus epularentur] To make a feast of.

Fri. Fui equidem. Fateor! tunc autem ignorabam nefas esse.

Rob. Quamnam verò ad partem insulæ navem appellere consuevistis?

Fri. Ad meridionalem oram, quoniam illa nobis proxima, arboribusque cocossæis abundat.

Ex hoc *Robinson* magis intellexit se nec sic quidem parùm felicem fuisse quòd in septentrionali non in meridionali insulæ orâ naufragium fecerat, alioquin se prædam imbellem feris hominibus futurum fuisse, ac denuò pollicetur se cum eo proximè ad patrem arcessendum profecturum esse; sed quanquam animo cupienti nihil satis festinatur, innuit hoc in præsens fieri non posse; nunc enim horti colendi tempus instare.

Illi igitur statim huic præcipuè negotio operam dant. Certamen erat *Robinsonem* inter et socium uter diligentiùs terram sollicitaret. Cùm autem à labore vacarent, instrumentis aptioribus conficiendis tempus inpendebant.

Robinson, cujus patientiam ingenium æquabat, rastrum quoque tandem confecit sibi, etsi ad

---

Nec sic quidem parùm felicem fuisse] Had not been so unlucky after all.

Imbellem] Feeble—one not in a state to make resistance.

Arcessendum] To fetch.

Sollicitaret] Should dig.

aperienda foramina nihil habebant adjumento præter acutum silicem. Si quis consideraverit quali instrumento opifex uteretur, facile intelliget quantùm temporis in opere consumpserit. *Friday* quoque sensìm cultro lapideo e lignis adeò duris spathas confecit ut ferrearum prope usum præstarent.

Jam *Robinson* rebus ad vitam sustentandam necessariis non contentus, paulatim domicilio exornando animum adjecit. Hanc rationem semper secuti homines, principio cœpere ea quæ essent ad victum, aut tutelam necessaria anquirere et parare; tum studuêre pulchra utilibus, jucunda necessariis adjungere. Hinc variæ venêre artes, architectorum, pictorum, statuariorum et cæteræ quæ elegantiores nominantur.

Sic primò *Robinson* horto colendo exornandoque operam dedit. Scilicet illum ritè in areas justas dividit, quas tramitibus rectis intersecat, sepes vivas serit, opaca umbracula, arbores duplici ordine directas. Hanc floribus, illam oleribus, istam arboribus frugiferis partem assignat. His

Usum præstarent] Served the purpose.

Principio] In principio cœperunt anquirere ea quæ essent necessaria, &c.

Pulchra utilibus] Adjungere pulchra utilibus.

In areas] Into beds.

Sepes vivas] Quickset hedges. *Oleribus*] Vegetables.

addit citreas arbores, quascumque in insulâ teneras reperire potuit ; magnamque vim aliûs generis arborum quibus ramulos arboris paniferæ insevit.

Solanorum quoque et Zeæ copiam satis magnam plantavit ; cùm autem ager ille ab orbe condito cessasse videretur, uberrimam fudit lætissimamque segetem.

Interdum quoque pisces capere tentant, retibus instructi quæ *Friday* pluviarum tempore confecerat. Tantam verò jactu quolibet multitudinem eorum ceperunt ut plurimos etiam in aquam rejicerent. Is enim Dei donis abutitur, ait præclarè *Robinson*, qui plus sibi assumit quam quod ad vitam benè beatèque agendam necessarium est ; sævus autem et immanis, si quis animalia innocua interficiat quibus ad victum quotidianum sibi non opus est.

Deinde corpus abluere solebant. In quo *Robinson* peritiam socii admiratus est, nunc super ipsos fluctos dorso eminentis, nunc alto se immergentis. Illum scilicet juvabat ex arduâ potissimùm, crebrisque fluctibus verberatâ rupe se præcipitem

---

Quibus insevit] On which he ingrafted.

Ager ille] That ground.

Cessasse] To have laid fallow. *Fudit*] It produced.

Eminentis] *Agreeing with socii.* Floating.

Ex arduâ, &c.] Ex rupe potissimùm arduâ (*very steep*), et verberata fluctibus, juvabat illum dare se præcipitem (*to throw himself headlong*), &c.

dare, superfusis fluctibus conditum, moxque, stupente et anxio *Robinsone*, subitò emergere, variisque modis corpus agitare.

Nec *Robinson* satis mirari potuit hominem a naturâ tot et tantas facultates sortitum esse, ut par sit omnibus exequendis quibus juvenis labore ac exercitatione assuefactus est.

Aliis diebus venando delectari; nec *Friday* in arcu sagittisque conficiendis quàm in adhibendis peritior erat. Aves pullosque lamarum dejiciebant, nunquàm verò plures quàm qui sibi essent ad vivendum necessarii.

Etsi autem *Robinson* socium ingenio industriâque vincebat, hic tamen multas artes callebat, domino anteà ignotas, tunc verò maximè utiles. Scilicet varia instrumenta ex ossibus, lapidibus, conchis, aliisque rebus fingebat quibus lignum ita tractabat ut non perfecta minùs atque elaborata opera efficeret quàm si ferro excisa essent aut fabricata.

Tandem horto probè exculto, dies constituta est quâ ad patrem *Friday* adducendum profecturi erant.

Emergere] To come up again.

A naturâ sortitum esse] Should have received from nature.

Omnibus exequendis] In performing every thing.

Callebat] Understood, was skilled in.

Ita tractabat] So cut, fashioned.

Adducendum] To bring.

Quò propior autem erat dies itineri destinata, eò major *Robinsonis* anxietas. Fieri enim poterat ut barbari, spretis *Friday* consiliis precibusque, hospitem malè mulctarent. Itaque diutiùs abstinere non potuit quin hunc timorem amico declararet. Quiquidem jurejurando *Robinsoni* affirmat timorem ejus esse vanum, se popularium suorum animos satis perspectos habere, illosque neminem unquàm lædere, nisi hostem. *Robinson* amico fidem habuit, omnique metu abjecto socii probitate fretus die proximo vela dare constituit.

Hâc mente scapham quæ huc usque in sicco remanserat, in aquam retrahunt, paloque in terram defixo religant. Vespere eodem tubera solanorum torrent, aliosque cibos parant ut secum octo dierum viatica deportent.

Malè mulctare] To use ill.
Se satis perspectos habere] He sufficiently knew.
Palo religant] Fasten it to a stake.
Viatica] Provisions.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Res multæ et magnæ.—Tempestas.—Fragor tonitruum.—Sonitus ænei tormenti.—Magna navis derelicta.—Friday *ad illum adnatat.—Ignota animalia.—Canis.—Capra.—Ratis.*

Robinson sociusque vix unam dormierant horam, cùm ille exortâ subitò tempestate expergefactus est. Procella horrendum furit, repetitoque tonitruum fragore terra ipsa concussa tremit. Audisne, *Friday?* ait *Robinson.* Heu! respondit ille, si hæc tempestas nos in alto deprehendisset! quibus vix dictis, repentè fragor auditur tormenti explosi sonitum referens. *Friday* tonitru esse putat; *Robinson* autem pro certo habet se tormenti sonitum audiisse, animusque ejus lætitiâ simul et timore perturbatur. Extemplò e strato se corripit, tædâque e foco arreptâ *Friday* jubet subsequi. Hic autem paruit, quanquàm consilio domini non perspecto.

Fragor] A noise.

Nos in alto deprehendisset] Had caught us out at sea.

Tormenti] Of a gun, or cannon.

Tum *Robinson* in summo monte quàm celerrimè ignem largum accendit, quo significaret maris sævitiâ conflictatis tutum hic esse perfugium. Non dubitavit enim quin esset in propinquo aliqua navis quæ propter periculum tormentum explosserat. Vix autem flamma exarserat, cùm effusis imbribus ignis extinctus est. *Robinson* sociusque in speluncam se ipsi recipiunt, ne aquis abripiantur.

Tempestas, nonnisi die oborto, furere desiit. Jam *Robinson* dubius spem inter et metum ad littus procurrit, exploraturus quemnam sonum auribus accepisset. Primo autem aspectu magnus *Robinsonem* dolor, socium verò desperatio incessit. Procella nimirùm scapham avulsam a littore in altum projecerat. Et certè si quis hunc miserum vidisset, qui nunc dulcem patris revisendi spem omninô amiserat a lacrymis certè abstinere non potuisset. Ille expalluit, mutus aliquandiù oculis in terram defixis ; tunc subitò in lacrymas erumpere, sibi manus torquere, pectus percutere, avellere crines.

Robinson qui propriis malis aliorum misereri didicerat, socii dolore ipse commotus, amicis lenibusque monitis studet eum ad tranquillitatem animi reducere.

Conflictatis] To those in distress.
Nonnisi die aborto] Not till it was day.
Incessit] Took possession of.
Hunc miserum] Friday in this miserable state.

Ille interea oceanum immensum oculis perlustrat, si fortè navem alicubì possit conspicere. Sed frustrà; ex eo, intellexit se errasse, neque ampliùs dubitavit sonitum illum quem tormenti fragorem ratus erat ipsum tonitru fuissè. Itaque tristis domum rediit quòd spe tam lætâ denuò frustratus esset.

Ibi autem requiescere planè non potuit, quippe imago navis cujusdam ad insulam appulsæ menti ejus semper obversabatur. Montem igitur denuò conscendit unde ora orientalis conspici posset, cùmque ad summum pervenisset, acie oculorum orientem versùs directâ, bone Deus! quàm ille lætatus simul atque attonitus fuit? navem scilicet permagnam conspicit tamque perspicuè, etsi satis longè aberat, ut nihil ampliùs superesset dubitationis. Tum ille anhelans ad arcem recurrere, arcum arripere, socioque obstupescenti nihil proferre præter hæc verba: en adsunt! Tum quàm velocissimè se proripit.

Friday dominum tantâ animi perturbatione trepidantem, atque verba quædam abrupta proferentem videns, barbaros adesse existimavit. Itaque ille quoque armis correptis eâdem celeritate *Robinsonem* secutus est.

Perlustrat] Surveys.
Acie oculorum directa] Having cast his eyes.
Anhelans] Breathless.
Proferentem] Uttering.

Jamque illi duorum milliarium viam percurre-
ant, priusquàm eò pervenissent unde navis conspici
osset. *Robinson* e longinquo eam socio ostendit;
uam ille magnoperè miratus est. Quanquam
nim navis satis longè distabat, intelligebat tamen
am centies superare vel maximam navem quam
uc usque vidisset. *Robinson* præ lætitiâ mirè
estiens, nunc exultare, nunc jubilare, nunc socium
mplecti, eumque lacrymans obtestari ut et ipse
ætetur. Jam licet in Europam tendere, jam
Angliam. Illic tibi cernere dabitur qualem vitam
n hâc urbe vivant, quàm magnificas ædes extruant,
uantis vitæ commoditatibus jucunditatibusque
ecuri fruantur. Incredibile verborum flumen
undebat *Robinson*. Instabat verò quâlibet ratione
fficere ut ab iis qui in navi erant ipse animadver-
eretur. Quânam verò ratione non satis constabat.

Primùm altâ voce clamavit, sed frustrà; quan-
uam ventus post procellam mutatus ab insulâ
avem versùs spirabat. Itaque socium quàm ce-
errimè ignem accendere jubet quem e navi cons-
icerent. Hoc celeriter peracto, flamma brevi
ltitudinem arborum æquavit. Interim *Robinson*

Centies superare] Exceeded in size a hundred times.
Jam licet] Now we shall be able.
Instabat] He was very earnest.
Quálibet ratione] By some means or other.
Quánam ratione] By what method.

oculos in nave defigit, expectans dum scapha inde demissa ad se tenderet. Quæ tamen spes eum fefellit.

Tandem postquam ignis per unam ferè horam arserat, cùm nulla in conspectu scapha esset, *Friday* ultrò *Robinsoni* spondet se ad navem, quamvis longiùs distet, natando perventurum, eosque qui in eâ vehuntur invitaturum ut ad insulam accedant. *Robinson* eum amplexus, orat ne se temerè periculo objectet, sed potiùs vitæ suæ consulat. Tum *Friday* vestes e stragulis confectas abjicit, viridemque ramum avulsum dente tenens quem pro signo pacis offerat, in mare alacri animo prosilit. Hunc *Robinson* oculis votisque ardentissimis prosecutus est.

Friday feliciter ad navem accessit; tum postquam non semel eam circumnatasset, sustulit clamorem; sed redditur à nemine. Tandem cùm scalam animadverteret a navis latere dependentem, illius ope navem conscendit. Tum stegam oculis perlustrans, aspectu bestiæ ignotæ exterritus est. Nigra et villosa erat. Atque ubi primùm illa

---

Inde demissa] As soon as it should be let down from the ship.

Viridem, &c.] Tenens dente viridem ramum quem avulserat.

Sustulit clamorem] Shouted out.

Stegam] The deck.

hominem conspexit, vocem prodidit qualem ille nunquam audierat. Mox autem tacuit, adeòque mitem se præbuit blandamque ut timorem *Friday* deponeret. Supplex quoque illa adrepit, caudam movens miserabiliterque ejulans quasi auxilium et præsidium imploraret. Itaque cùm usque ad ejus pedes prorepsisset, eam *Friday* manu mulcere audet, quoquidem illa mirificè lætata est.

Tum *Friday* stegam pererravit, altâ voce indeusque clamans: nemo autem se obtulit. Cùm omnia stuperet quæ in stegâ oculis ejus occurrebant, dorso ad locum quo patet in interiorem navis partem descensus verso, repentè a tergo percussus fuit tanto ictu, ut pronus caderet. Terrore perculsus, se erexit, atque cum respexisset, attonitus hæsit ad aspectum animalis satis magni, cornibus curvis, barbâ prolixâ densâque, quod iterùm minaci vultu in pede se erigebat, ut in hominem denuò impetum faceret. *Friday*, clamore edito, in mare prosilit.

Prior scilicet bestia, nigro colore, erat canis villosus, qui hominem secutus e nave se quoque

---

Inde usque] On all sides.
Dorso, &c] Dorso verso, his back being turned.
Quo patet descensus] Which leads down.
Respexisset] Had looked round.
In hominem] Upon *Friday*.

projecit. Ille verò natantem à tergo audiens putavit monstrum alterum cornibus armatum urgere adeòque exterritus est ut vix valeret pronatare. Parùm abfuit quin fluctibus absorberetur ; nec respicere quidem ausus est. Cùm tamen paululùm animum recepisset, tantâ velocitate tranavit ut vix eum canis sequi posset. Tandem littus attingit, vocisque et animi impos ad pedes *Robinsonis* procidit. Canis quoque non ita multò post terram assecutus est.

Robinson nihil intentatum reliquit quo fidum vitæ solitariæ socium reficeret. Scilicet illum osculatur, concutit, nomine vocat. Attamen non nisi aliquo temporis spatio elapso, *Friday* oculos aperuit spiritûsque liberiùs meantis signa dedit. Tandem vocis usu recepto, narrare incipit quid terribile sibi acciderit ; navem sibi montis instar lignei visam fuisse, in quâ stabant tres excelsæ arbores (mali scilicet). Bestiam illam nigram sibi adblanditam fuisse, monstrum verò cornutum barbatumque irruisse, mortem intentans ; addidit se

Natantem] Audiens *canem* natàntem, &c.
Parùm abfuit quin] A litle more.
Spiritus liberius meantis] Of breathing more freely.
Impos, &c.] Without speech or strength.
Sibi adblanditam fuisse] Had fawned on him.
Irruisse] Had attacked him.

existimare monstrum illud esse montis lignei natantis dominum, cùm hominem in eo vidisset omninò nullum.

Robinson narrantem miratus, intellexit animal illud cornutum nihil aliud nisi capram esse aut hircum. Prætereà existimavit quoque navem scopulis adhæsisse, homines verò qui in eâ vecti essent illam reliquisse ut in scaphas se reciperent; quò tamen illi confugissent, intelligere non potuit. Si enim adiissent ad insulam eò appellere debuisse videbantur, ubi nunc ipse et *Friday* erant; sed nulla eorum poterant conspici vestigia. Quòd si autem salutem quærentes cum scaphis periissent, aut corpora aut scapha, aut utraque ad littus debuissent compelli. Tandem meminit ventum inter tempestatem subitò mutatum fuisse, conversumque ad orientem, cùm ab occidente spiravisset. Quoquidem obscuram hanc rem satis explanari putavit.

Quid autem nunc faciendum est? *Robinson* quærit secum. Fac illos periisse aut vento tantùm abreptos fuisse; in utroque casu, optimum est e nave quàm plurima eripere. Quomodo autem,

---

Eò appellere debuisse videbantur] It seemed as if they must have landed at that part of the island.

Inter] During.

Fac] Suppose.

Quàm plurima] As many things as possible.

cùm scaphâ careamus? Et jam non gravis minùs ipsi fuit cymbæ jactura quàm anteà socio fuerat. Diu meditatus est, aliquid excogitaturus quo damnum sarciret, sed nihil menti succurrit. Confectio novæ cymbæ nimiùm temporis requirebat, nec ipse audebat pronatare ad navem; quippe quæ abesset longiùs. Prætereà hâc ipsâ ratione, incerto etiam exitu, pauca admodum servare poterat.

Subjicit ingenium necessitas. Venit in mentem ratem facere, lignis aliquot ita colligatis ut commodè veheretur.

Tum statutum fuit ut alteruter domum curreret, dieique victum cum omni funium copiâ cæterisque instrumentis necessariis peteret. *Friday* ut erat cursu velocior, proficiscitur. *Robinson* autem remansit, arbores interim rati conficiendæ idoneas cæsurus.

Friday nonnisi sub vesperam rediit. Interea *Robinson* magnoperè delectatus est cane villoso,

---

Et, &c.] Ordo. Et jam jactura cymbæ non minùs gravis fuit ipsi quàm fuerat anteà socio.

Damnum sarciret] Might supply the loss.

Quippe quæ] Seeing that she.

Hâc ipsâ ratione] By this plan, *i. e.* swimming to the ship.

Subjicit ingenium] Suggested a contrivance.

Ratem] A raft.

Cæsurus] That he might cut down.

quem veluti popularem ex Europâ, si ita loqui fas est, diligebat. Cùm *Friday* rediisset, ciborum quos attulerat partem *Robinson* cani esurienti dedit. Cum verò luna opportunè lucem præberet, ambo usque ad mediam noctem sine ullâ intermissione, operi incubuerunt. Tum verò omninò fatigati, cùm somno diutiùs carere non possent, in gramine recumbunt, canique custodiam corporum committunt. Hic ad pedes eorum se projecit. Illi autem dulci somno recreati sunt, donec aurora rediisset.

Popularem] A countryman.
Carere] To do without.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Multæ opes repertæ.—Cibi.—Supellex.—Instrumenta.—Vestes.—Sclopeta.—Robinson *repentè dives.*

Posterum diem tantâ cum assiduitate operi impenderunt ut illo etiam vespere ratem confecerint. Duplicem arborum seriem partim funibus, partim viminibus tam arctè colligaverant ut opus rudi licet fabricâ compactum, tutissimæ ratis vicem præstaret, longitudine viginti circiter pedum, latitudine ferè eâdem. Prudentiùs illam quoque propè littus atque cylindris impositam construxerant; quò faciliùs in mare deduceretur.

Atque opportunè, primo diluculo, mare reciprocare cœpit. Itaque sine morâ ratem detrudunt ut ab aquâ recedente, velut à fluvio, ad navem sco-

Duplicem seriem] A double row.
Rudi fabricâ] Of clumsy workmanship.
Cylindris] Rollers.
Reciprocare] To come up.

pulis affixam deferatur. Et mox profecti, horâ dimidiâ vix elapsâ, ad navem perveniunt.

Quibus tunc gaudiis *Robinson* exultavit, dum ille ad navem ingentem Europæanam accedit! Parum abfuit quin latus ejus oscularetur. Adeò charam illam habebat, quòd ex Europâ advenerat, quòd ab Europæis ædificata, ab Europæis hùc adducta fuerat! Charissimi autem isti Europæi, heu! evanuerant, undisque forsan obruti perierant. Quæquidem suspicio acerbissima *Robinsonis* animum magnoperè afflixit, qui vel dimidiâ vitæ suæ parte vitam eorum redemisset, ut cum ipsis in Europam reverteretur. Hâc verò omni spe sublatâ nihil supererat, nisi ut ex navi servaret tantam supellectilem quantam posset, eamque in proprios usus converteret. Itaque ratis ope navem circumvectus est, fundum maris tentaturus. Sed mox non sine magno dolore intellexit minimè esse sperandum ut illa unquam navigaret; quippe quæ inter duos scopulos vi tempestatis conjecta ita hærebat ut planè moveri non posset.

Quâ spe destitutus *Robinson* navem conscendere properat, opes quibus illa onerata erat exploraturus,

---

Profecti] Having gone on the raft.
Latus ejus] The side of the ship.
Tantam supellectilem] As many valuables.
Fundum tentaturus] To sound the depth.

an essent incolumes. *Friday* autem, timoris hesterni non immemor, dominum in stegâ comitari vix audebat. Verumtamen eum secutus est, quanquàm trepidans; statim enim monstrum illud cornutum oculis illius se obtulit. Jam verò illi non tantùm erat audaciæ; quippe debilitatum jacebat, ut vix surgere posse videretur, quoniam per triduum pabulo caruerat. Cujus rei causam *Robinson* intelligens, ante omnia curavit ut bestiam fame ferè consumptam pabulo recrearet. Cùm verò varias non ignoraret partes, in quas navis interior distribui solet, accuratè omnia inquirere cœpit. Singulis scilicet cubiculis perlustratis, multa passim conspexit, quæ apud Europæanos neglecta, ipsi nunc maximi erant pretii. Cados nimirùm integros invenit plenos panis nautici, oryzæ, farinæ, frumenti, vini, pulveris nitrati, globulorumque plumbeorum majoris minorisve formæ, tormenta quoque bellica, sclopeta, gladios, secures, serras, cæla, terrebras, radulas, runcinas, malleos, massas ferri, clavos, cultros, forfices, acus, ollas præterea, patinas, cochlearia, forcipes, folles, variamque

Illi] Scil. Monstro. *Cados*] Casks.
Oryzæ Rice. *Globulorum, &c.*] Bullets and shot.
Sclopeta] Guns. *Cæla*] Chissels.
Terrebras] Gimblets. *Radulas*] Razors.
Runcinas] Planes. *Forfices*] Scissars.
Forcipes] Tongs.

supellectilem culinariam ligneam, ferream, stanneam et cupream ; plenas tandem cistas vestimentorum, linteorum, tibialium, calceorum, ocrearum, infinitamque aliarum rerum copiam quas viles habemus ; sed quanti sint pretii tum demum intelligimus, cùm desiderantur.

Quæquidem omnia *Friday* obstupescens intuebatur ; illa quippe nunquam anteà viderat ; plurimorumque usus ipsum prorsùs fugiebat. *Robinson* contrà incredibili voluptate perfusus, præ gaudio lacrymatur, atque puerilem in modum singula tractat, ac subito abjicit, arripitque alia pro ut visa sunt, aliis jucundiora. Placuit demum in carinam interiorem descendere. Hanc vero aquâ repletam invenit, quoniam in eâ navis magnoperè dehiscebat. Jam igitur diu deliberanti quid primum potissimùm secum auferret, nunc hæc, nunc illa magis necessaria videntur ; itaque sæpe rejicit quæ modo elegerat, aliaque eligit mox quoque rejicienda.

Tandem quæ omnium præstantissima ipsi videbantur ea seligit : 1°. cadum pulveris nitrati ple-

Supellectilem culinarium] Kitchen utensils.

Cistas] Chests.

Pro ut visa sunt] According as they seemed to him.

In carinam interiorem] Into the lower part of the ship.

Dehiscebat] Was bilged.

num, cum arculâ plumbearum glandium; 2°. duo paria sclopetorum manuariorum, duos gladios bellicos, duos venaticos; 3°. duplicem vestimentorum apparatum à capite usque ad calces, unum sibi, alterum socio; 4°. viginti quatuor indusia; 5°. duas secures, serras, runcinasque pares numero; ferri massas, malleos, nonnullaque alia instrumenta; 6°, quosdam libros, chartæ scriptoriæ copiam, cum atramento et calamis; 7°. pyrothecam cum igniario et silicibus; 8°. cadum pane nautico repletum: 9°. carbasi mediocrem copiam, et 10°. capram.

In perquirendis, aperiendis, exponendis, admirandis, eligendis atque rati imponendis omnibus illis opibus tantum temporis spatium consumpserant, ut a proximo æstus accedentis tempore una tantùm hora abesset. Atque hoc illis expectandum erat. Alioquin enim vix ratem promovissent. Hanc horam *Robinson* epulas Europæorum more apparatas prandendo insumpsit. Itaque carnem

Glandium] Bullets.

Duo paria sclopetorum manuariorum] Two brace of pistols.

Pyrothecam] Tinder-box.

Igniario] A steel.

Carbasi] Linen.

Æstus accidentis] Of the tide's turning to shore.

Carnem bubulam] Beef.

bubulum fumo siccatam, panis nautici frustum, butyrum, caseum, vinique lagenam deprompsit, cunctisque mensæ in cubiculo præfecti extructæ impositis, cum socio in sellis consedit. Hîc verbis exprimi non potest quantam *Robinson* ex cibis illis præstantibus, cultro tandem et furcâ instructus, voluptatem perceperit, ex pane præsertim quem ille tam diu frustrà desideraverat. Hoc qui cogitatione penitùs complecti velit, cum *Robinsonis* instar per novem annos continuos omnibus istis copiis vitæque præsidiis caruisse oportet.

Cùm jam statâ vice mare redire cœpisset, uterque ad ratem descendit, cùmque eam solvissent, leniter aquâ accedente ad littus delati, opes servatas in terram deportare properant. Tum *Friday* magnoperè gestit discere quis ex his omnibus usus aut quæ commoditas percipi posset. *Robinson* ut cognoscendi cupiditatem expleret post dumetum se recipit, ibique indusium vestemque præfecti cum calceis et tibialibus induit; tum gladio cinctus pileoque ornatus subitò progreditur atque ante oculos socii obstupescentis consistit. Ille attonitus

---

Mensæ extructæ] Upon the table which he had spread.

In sellis] Upon chairs. *Præfectus*] The captain.

Cogitatione penitùs complecti] Thoroughly to understand.

Stata vice] At the usual time.

Post dumetum se recipit] Got behind a hedge.

aliquantulùm recessit, primo certè aspectu incertus dominum ne an alium quemdam homine majorem conspiceret? *Robinson* attonito subridens, manu blandè porrectâ, eumdem profitetur se verum *Robinsonem*, amicum ejus semper esse, etsi veste et fortunâ mutatis. Tum depromptas remigis vestes eum docet ritè induere atque post arbusta latere jubet ut se quoque vestiat. Paruit *Friday* attamen multùm temporis in se vestiendo consumpsit; quippe qui illa sibi aptandi omninò rudis esset. Indusium videlicet ita induit, ut pedes manicis immitteret; eodem modo braccis usus est pedes nimirùm in partes inferiores inserere conatur, tunicamque in dorso connectere. Sensim errorem intellectum emendavit, donec tandem, sæpiùs frustrà conatus, omnia ista vestimenta rectè induere didicisset. Illa vero maximè laudavit quòd ipsum egregiè contra musquitonum morsus defenderent. Calceos solos vituperavit, qui parùm commoditatis habere ipsi videbantur. Jam illi *Robinson* demonstrat quemadmodum utendum sit securi cæterisque instrumentis; et confestim securis experimentum

---

Remigis] Of a sailor.

Qui illa sibi, &c.] Ordo. Qui omnino rudis esset aptandi illa sibi.

Manicis] Into the sleeves.

Braccis] Breeches.

In dorso connectere] To button it behind.

Vituperavit] Found fault with.

fecerunt malumque rati idoneum aptaverunt quem velo in posterum instruerent. Quodquidem opus *Robinson* se solum perfecturum spondet, sociumque ad lamam mulgendam mittit; hoc enim per biduum neglexerant.

Absente *Friday*, *Robinson* sclopetorum alterum complet, ut amico ostendat quanta sit vis pulveris nitrati, simulque ejus admirationem excitet; quo reverso, atque *Robinsonis* in opere perficiendo celeritatem admirante, hic falconem marinum conspicit tunc pisce rapto avolantem. Arrepto statim sclopeto exclamat; attende *Friday*, istum dejiciam. Quibus vix dictis, exploditur sclopetum alesque ex aere in terram exanimis decidit. Quo viso auditoque *Friday* in terram procidit quasi ipse vulneratus; repentè enim vetus de *Toupane* seu tonante opinio ejus animum subiit, dominumque in hâc animi perturbatione *Toupanem* esse existimavit. Ille quidem se erexit; sed genibus minor, manusque supplex ad *Robinsonem* protendit.

Nunquam *Robinson* id committebat ut quæcumque ad religionem spectarent, vel per jocum ludibrio haberet. Hominem itaque trepidantem manu

---

Complet] Loads.

Pisce rapto] With a fish which it has seized.

De Toupane seu tonante] Of Toupan, or the god of thunder.

Sed genibus minor] Kneeling.

allevans amplexusque, rogavit ut timorem deponeret addens ita brevi fore ut ipse fulgur fulmenque ejusmodi posset emittere. Tum ei demonstrat quâ arte sclopetum conflatum sit, quanta sit vis pulveris nitrati, sclopetumque ei repletum porrigit explodendum. *Friday* verò nimio adhuc terrore perculsus negat se explosurum, rogatque ut *Robinson* ipse iterum tonet. Tum *Robinson* scopum centum passus distantem designat, socioque juxta se collocato, sclopetum explodit. Parùm abfuit, quin *Friday* iterum in terram procideret; adeò quæ viderat atque audierat supra humanas vires esse judicabat. Scopum plurima plumbea glans attigerat, quæ ipsum penetraverat lignum. *Robinson* socium hoc jussit animadvertere atque ex eo intelligere quàm tuti in posterum ab hostibus ipsi forent, fulgure fulmineque sic armati. Quæquidem cuncta *Friday* animo tantam erga Europæos dominumque imprimis venerationem injecerunt, ut per multos dies cum eo familiariter pro more versari non auderet. Cum nox appeteret, hic fuit lætissimus hujus diei exitus.

Fulgur fulmenque ejusmodi] Thunder and lightning of the same kind.

Conflatum] Was made or cast.

Scopum] A mark.

Plurima plumbea glans] A great many shot.

Pro more] According to custom.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Friday *servat* Robinsonem.—*Opes a littore domum advectæ auxilio canis et lamarum.—Munimenta arci addita.*—Robinson *faber factus et agricola vivit beatè.*

DULCIOREM nunquam, ex quo in insulâ habitabat, somnum ceperat *Robinson*, quàm hâc nocte; quippe qui tantâ nunquam usus esset felicitate.

Sequenti mane surgunt, copias in nemore conditas multis ramalibus tegunt, ne fortè pluviâ corrumpantur. Tum mari primùm recedente, ratem aquis committunt, ad navem scopulis illisam denuò accessuri, et sic per sex dies continuos ac bis quotidiè, quidquid e nave abripi poterat secum ad littus transferunt. Permulta quæ nos parvi facimus, utpotè eorum penuriam nunquam experti, ea illi permagni æstimantes abstulerunt, additis quinque tormentis bellicis omnibusque ferramentis quæ inveniri aut e nave extrahi poterant.

Parvi facimus] We set a trifling value on.
Penuriam experiri] To feel the want of.
Permagni æstimantes] Setting a great value on.

Quâdam die cùm in insulam rediissent, tenebris obortis, *Robinson* lampade accensâ scripta in nave reperta perlegit, ut inde cognosceret cujus esset illa navis, et quò illa tetendisset. Invenit autem non sine magno dolore, ista sermone sibi ignoto scripta esse. Quantoperè nunc, etsi nimis serò, illum pœnituit, quod varias linguas addiscere in pueritiâ neglexisset.

Hoc itinere jam duodecies confecto, cùm essent in nave exonerandâ occupati, tempestatem oriri animadvertunt. Igitur rati prædam imponere properant, et priùs abire quàm sæviret procella. Vix autem dimidiam viæ partem confecerant, cùm exorta est tempestas mixta fulguribus, tonitrubus imbribusque; quæ tantâ vi fluctus ciebat, ut undis ratem superantibus, copiæ in eâ positæ absorberentur. Ipsi aliquandiù firmiter amplectuntur malum, ne aquis abriperentur etsi subinde capitis fastigio superfusis; tandem crebris fluctibus compage ratis verberatâ laxatâque trabes abierunt.

Scripta reperta] The papers which he had found.

Tetendisset] Was bound.

Sæviret] Should become violent.

Ciebat] Tossed up.

Superantibus] Dashing over.

Capitis fastigio superfusis] Dashing over their heads.

Compage] The fastenings which held it together.

Friday quidem natando vitam servare conatur; *Robinson* verò trabi adherens, nunc profundo mergitur, nunc summo pendet in fluctu; sæpiùs autem aquis obrutus, attonitus planè, atque sensu oculorum auriumque orbatus jactabatur. Jam vires animusque luctantem deficiunt. Tandem magno clamore sublato, ingenti fluctu a trabe avulsus hauritur.

Fidissimus interea *Friday* dominum non deseruerat, etsi ipse potuisset multò celeriùs e periculo evadere, si suæ unius saluti consuluisset. Cùm autem dominum ante oculos suos haustum videt, confestim se in aquam projicit, illumque manu sinistrâ arripiens, dextrâ se ipsum elevare nititur! Jam omni vi connisus, cum *Robinsone* exanimato ac expiranti littus assequitur.

Tum *Friday* jacentis corpori superincumbere, dominum altâ voce vocare, illum concutere, labiis labia premere, ut animam ei infundat; tandem incredibili cum lætitiâ animadvertit spiritum liberiùs meantem.

Pergit igitur eum reficere, *Robinson*que paulatim redeunte animo allevans oculos voce debili interrogat: ubinam ego sum? Inter amplexus meos, carissime omnium domine, respondet, *Friday* effu-

---

Jacentis] Scil. Robinsonis.
Superincumbere] Laid upon.

sus in lacrymas. Tum erat res spectaculo digna hinc *Robinsonem* videre servatori suo gratias agentem, inde *Friday* gestientem et quasi amentem lætitiâ, quòd dominum ad vitam revocâsset.

Deinde *Robinson* somno recreatus est in lectulo quem è nave abstulerat. Cùm die oborto vires recuperavisset, non sine magno dolore vidit navem penitùs evanuisse. Quippe avulsarum tabularum fragmenta ad littus delata indicabant illam vi tempestatis fractam omninò et dissolutam esse. Tum *Robinson* et socius omnes navis reliquias in littore diligenter colligunt, quippe qui conjectarent tabulam quamque, aut quodvis tigillum magno sibi usui fore.

Nunc opes omnes servatæ in arcem transportandæ erant. *Robinson* statuit ut vicibus quisque alternis bajuli custodisque ministerio fungeretur. Tormenta bellica complevit pulvere nitrato, atque in littore collocavit, ore mare versùs directo. Tum apud tormentum ignis accenditur quo illud, si res postulâsset, exploderetur. Primus ipse *Robinson* cœpit copias transvehere. Canis villosus qui nun-

---

Gestientem] Capering.

Quippe qui conjectarent] As they thought,—thinking.

Tigillum] Beam, plank.

Vicibus quisque alternis] Each alternately.

Bajuli] Of a porter.

quam ab ejus latere recedebat, comes fuit in itinere haud inutilis. Scilicet *Robinson* illum vehiculo quod in navi invenerat canem ita alligavit ut esset adjutor non mediocris. Dentibus insuper fasciculum portavit, quodquidem jam anteà edoctus fuerat. Cunctos deinde lamas mansuetos atque oneribus gestandis jam assuefactos secum adduxit ut iis quoque ad opes transferendas uteretur. Qui cùm essent septem numero, singuli autem oneri centum et quinquaginta librarum portando pares, facile est intelligere quantum universi facto agmine advexerint. Congestas verò copias *Robinsonis* spelunca et cella capere non potuerunt. Igitur tentorium amplum in vestibulo arcis exstruere properat. *Robinson* forficibus, acubus, filisque nunc instructus celeriter hoc opus promovit atque octo dierum spacio, suo quæque loco fuerunt recondita.

Jam erant *Robinsoni* socioque grata quibus vacarent opera. Instabat verò maximè ut sibi casam ædificarent ubi quas spelunca capere non poterat

---

Singuli, &c.] Singuli pares. Each equal.

Oneri] Portando oneri. To carry a load.

Facto agmine] In company.

Vestibulo arcis] In the porch of his castle.

Grata quibus vacarent opera] Pleasant occupations for their leisure.

Ubi, &c.] Ordo. Ubi copiæ, quas spelunca non poterat capere, &c.

commodiùs tutiùsque copiæ conderentur. In quoquidem, fabrorum lignariorum ars illis exercenda fuit quam neuter didicerat.

Tunc verò nullum erat opes quod *Robinsonis* industriam solertiamque difficultate vinceret. Itaque facili negotio arbores detruncare, trabes conjungere atque erigere, parietes lateritios conficere; quæ casa foliis cocossæ tecta tuguriis agricolarum nostrorum haud absimilis erat.

Posteà omnibus, ut par erat, conditis, *Robinson* arcem munire constituit. Ac primò, ut erant nunc ferreis spathis instructi, fossa quæ cingebat arcem ita refecta est ut esset latior altiorque. Deinde postes eriguntur, ponsque versatilis ita adstruitur ut erectus sit pro portâ. Tum tormenta in aggere collocantur, binis dextrum, binis sinistrum latus totidemque faciem castelli tuentibus. Nunc licebat ab impetu barbarorum esse securis, atque insuper patebat ipsis facilis aditus exitusque.

Interim messis advenerat. *Robinson* vetere gladio pro falce usus est ad zeam demetendam, sed ad effodiendos solanorum bulbos, ligone inter res ser-

---

Lateritios] Of brick.
Pro portâ] Before the door.
Binis, &c.] Binis tuentibus dextrum latus, &c.
Totidem] And the same number.
Pro falce] For a sickle.
Ligone] Usus est ligone quem reperit, &c.

vatas reperto. Tum *Robinson* duo tribula confecit socioque eorum usum edocto, ambo zeam uno die extundunt; duos saccos inde replent, sex circiter modiorum mensurâ. Pane nautico ad victum aliquot mensium instructi erat. Quo consumpto, *Robinson* ipse panem coquere constituit. Nimirùm molam manuarium e nave apportaverat. Nihil igitur ei defuit nisi cribrum densum ad cribrandam farinam furnusque ad coquendum panem. Cribri loco, telæ genus apud Indos confectum repertumque in nave adhibuit. Furnum verò haud difficile fuit fabricare.

Cùm autem *Robinson* agriculturæ tum propter ejus utiltatem, tum propter jucunditatem imprimis operam dare cuperet, officinam vomeribus instrumentisque aliis conficiendis idoneam exstruere constituit. Quippe qui nunc haberet follem tantamque ferri copiam, quanta sibi per totam vitam, quàm longa foret, sufficere videretur. Igitur pluvii temporis partem ferramentis conflandis et excudendis impendunt; quodquidem post nonnullos

Tribula] Flails.

Molam manuarium] A hand-mill.

Cribrum] A sieve.

Officinam] A workshop.

Conflandis et excudendis] Making red-hot, and beating into shape with a hammer.

conatus irritos præclarè illis successit. Posteà et aratrum excogitaverunt tam leve et aptum ut lamæ ipsæ sensìm arando assueverint. Tum occâ perfectâ, exacto tempore pluvio, duos frumenti modios, unum hordei, dimidium pisorum terræ commisit quæ herbescentem brevi fudit viriditatem, et intra duos menses semina sibi commissa incredibili fœnore reddidit.

Interim capra duos pepererat hædulos, ita ut hoc quoque animalium genus in insulâ propagaretur. Canis custodis munere noctu fungebatur. Psittacus sive inter cœnandum sive inter laborandum eos garriendo recreabat. Lamæ autem nunc summam utilitatem illis præstiterunt; hæ enim non solum lac, caseos, butyrumque præbebant, illi verò in agris colendis magno erant adjumento. Sic ad vitæ felicitatem perfectam nihil *Robinsoni* deerat, præter parentes et patriam. Tunc enim ex omni parte beatus fuisset.

Irritos] Unsuccessful.

Occâ] A harrow.

Quæ herbescentem, &c.] Which soon produced a fine green appearance.

Fœnore] Interest, increase.

Munere] The office.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Adsunt! Adsunt!—Arma inter socios dividuntur. —Paratur bellum.—Duo viri adversùs quinquaginta.—Victoris clementia.

Hæc inter sex menses effluxêre nec *Friday* ullam denuò de patriâ repetendâ mentionem domino fecerat. Sæpiùs autem, confecto labore, montem unde insulam in quâ natus erat prospectaret, conscendere solebat. Ibi meditabundus sedebat, lugens quòd a patre in perpetuum disjunctus esse videretur. Et ipse *Robinson* tacebat de hoc itinere; quippe qui non posset amici votis priùs obsecundare, quàm cuncta ad novum vivendi genus fuissent disposita.

Nunc autum absolutis rebus maximè necessariis, *Robinson* primus navis ad socii patrem arcessendum

Hæc inter] While all these things were doing.
Prospectaret] He could take a view of.
Obsecundare] Accede to, comply with.
Robinson, &c.] Ordo, Robinson primus auctor fuit denuò parandæ navis ad arcessendum patrem socii.

denuò parandæ auctor fuit. Quo audito, *Friday* tantâ etiamnum quantâ priùs lætitiâ affectus, gratum erga *Robinsonem* animum eodem modo declaravit. Proximo igitur die opus inchoatum est, instructisque idoneis securibus longè felicius res cessit,

Die quâdam *Robinson* in negotio quodam domestico occupatus socium ad littus misit ut testudinem quæreret; diu enim grato hoc cibo caruerant. Ille verò brevi magnâ cum festinatione rediit, anhelans pavitansque hæc sola proferre potuit: adsunt! adsunt! Territus ipse *Robinson* interrogat quisnam adsit! O domine! una, duæ, tres, sex, scaphæ: numeros scilicet inter tres et sex, propter animi agitationem reminisci non potuit.

Robinson quàm velocissimè collem conscendit, atque non sine horrore agnoscit, *Friday* non erravisse; atque ipse numerat sex scaphas barbaris repletas qui appellere littori conabantur. Tum celeriter descendit, sociique trepidantis animum confirmat, interrogans an fideliter et strenuè cum ipso stare velit, si cum barbaris sit decertandum.

Vita mea tua est: respondit ille, cùm interim

Auctor fuit] Proposed.

Tantâ, &c.] Affectus erat etiamnum (still) tantâ lætitiâ quantâ erat prius.

Stare velit] Staret.

satis firmatus fortitudinem pristinam in animum revocâsset. Age verò, *Robinson* exclamat, absit ut barbari inhumana exequantur consilia. Quæ constituerim ego tibi inter eundum exponam ; nunc non loquendi, sed agendi tempus est.

Tum unum e tormentis e vallo deducit, rotis suffultum ; sex sclopeta majora, quatuor minora, repletaque illa, cum duobus gladiis profert. Uterque duobus sclopetis manuariis gladioque cingulum instruit, tria sclopeta majora humero imponit, tormentoque trahendo adjungitur. Abundabant prætereà globis plumbeis majoribus minoribusque, et pulvere nitrato. Sic cum hoc militari apparatu fortiter ad bellum progrediuntur. Ponte versatili trajecto, consistunt. Tum *Robinson*, socio omne belli consilium exposuit. Montem circùm, ait, atque per densissimam sylvam ibimus, ne ab hostibus conspiciamur. Tum in arbustis densis ad littus ferè procurrentibus ad eos propiùs accedemus ; cùm erimus intra teli jactum, subitò tormentum explodatur bellicum, quo barbari, credo equidem, territi, relictâ prædâ, in scaphas confugient. Tum

Absit] Far be it from us to suffer.
Suffultum rotis] Borne upon wheels.
Replcta] Loaded.
Adjungitur] Each assists.
Procurrentibus] Which extend.

commilitoni manum porrigit: et uterque se fortissimi militis officio functurum pollicetur.

Interim tacito gressu usque ad extremam dumetorum partem perveniunt. *Robinson* comitis auri insusurrat, ut quàm cautissimè post magnam quamdam arborem adrepat redeatque sibi declaraturus num hostes inde conspici possint. *Friday* reversus nuntiat optimè illos observari posse, ignem circumsidentes, ossaque alterius captivi jam mactati assata rodentes; alterum non procul ab illis vinctum jacere; hunc ex albo genere hominum videri, et pari neci destinatum.

Non tenuit iram *Robinson*, de viro albo inprimis audiens. *Tubum opticum* quem è navè servatum secum apportaverat, prætendit post arborem ipse collocatus, et ea quæ *Friday* retulerat ipse vera esse deprehendit. Quinquaginta circiter cannibales apud ignem consederant; captivum verò jacentem Europæum esse facilè agnovit. Tum autem exarsit, sanguis fervet, pectus æstuat. Si verò primum hunc animi motum sequitur, temerè impetu facto multum effundet sanguinis; novit enim ra-

---

Auri insusurrat] Whispers in the ear.

Redeat sibi declaraturus] And should return to tell him.

Tubum opticum] Telescope. *Ordo.* Ipse collocatus post arborem, prætendit tubum &c.

Rationem vinci nunquam oportere] That reason ought never to be over-ruled.

tionem cæcâ animi perturbatione vinci nunquam oportere; itaque indignationem cohibet.

Ad eam deinde partem dumetorum quæ longiùs excurrebant progressus, animadvertit hiatum mediocrem è longinquo vix conspiciendum. Collocatum ibi tormentum ita dirigit, ut globus super capita barbarorum emissus neminem lædat. Deinde socio tacitè significat ut accuratè ipsum in omnibus imitetur quæ agentem ipsum viderit. Quo facto, duo sclopeta ponit humi, tertium manu tenet; quod *Friday* imitatus est. Tum funem incendiarium rimulæ tormenti admovet. Ignem pulvis concipit, globus exploditur. Fragore audito, barbari e cespitibus ad terram procidunt quasi omnes unà occisi. *Robinson* et socius in exitum rei intenti erectique, ad pugnam, si necesse foret, cætera parant. Mox verò barbari terrore quo primùm perculsi fuerant parumper sedato, in pedes se erigunt. Pavidiores ad scaphas profugiunt, fortiores arma capiunt. Illi verò solo tormenti fragore exterriti, neque ignem, neque globum viderant; itaque terror eorum *Robinsonis* expectatione minor fuit. Cùm autem nihil circumspiciendo animad-

---

Quæ longiùs excurrebant] Which extended the furthest.

Progressus] Having gone forward.

Emissus super capita] Shot over the heads.

Rimulæ] To the touch-hole.

verterent quo rursùs terrerentur, animum statim receperunt. Fugientes quoque revertuntur, cuncti horrendum clamorem edunt, atque sævissimo vultu gestuque arma vibrantes chorum bellicum instaurant.

Robinson hæret etiam dubius, donec choro finis fieret. Cùm verò vidisset barbaros iterum considere duosque mitti qui Europæum adducerent mactandum; tum diutiùs iram cohibere non potuit. Scilicet præcipit socio voce submissâ: tu ad dextram, ego ad sinistram. Deus nos adjuvet! His dictis, sclopetum ipse explodit, idem facit *Friday*, qui meliùs *Robinsone* collineaverat. In sinistrâ enim parte quinque, in dextrâ tres tantùm prociderunt. Ex quibus octo, tres interfecti, quinque vulnerati modò erant. Mira fuit festinatio quâ jam omnes qui illæsi fuerant fugam corripuêre. Alii alia in loca aufugientes immanem edunt ejulatum. *Robinson* nunc prorumpere gestit, ut fugientes persequatur miserumque Europæum vinculis liberet; sed obstupuit sané, cùm nonnullos fugientium rursùs coalescere et se ad defensionem parare vidisset. Itaque quàm celerrimè alterum sclopetum arripit. Item *Friday*, amboque suum

Edunt] Raise. *Instaurant*] Renew.
Collineaverat] Had aimed.
Prorumpere gestit] Would fain have burst from his hiding place.

quisque explodunt. Hîc duo tantùm occubuerunt barbari. Nonnulli autem, vulnerati scilicet, clamantes atque ululantes, amentium instar, discurrunt; alii cruenti, alii vehementer læsi. Ex istis non multò post tres etiam semianimes procidunt. Agedum, *Friday*; *Robinson* exclamat, dum sclopetum abjicit explosum, ut tertium repletum arripiat. Prorumpamus. His dictis, facto impetu, ambo in campum ruunt, *Robinsonque* ad captivum provolat. Dum autem ad illum accedit, nonnullos barbarorum fugientium animadvertit gradum sistere atque ad pugnam se componere. Hoc *Robinson* socio innuit. Quiquidem signo ejus intellecto propiùs accessit, sclopetoque exploso unum ex illis prostravit. Interim *Robinson* cultro vincula secat, quibus captivi manus pedesque constricti erant. Tum Anglico sermone interrogat, quisnam sit? Captivus latinis verbis respondet se Christianum et Hispanum esse. Tunc illi *Robinson* sclopetum manuarium gladiumque porrigit, ut ad pugnam dirimendam ipse auxilio sit. Hispanus vix sclopetum gladiumque acceperat, cùm furore percitus

---

Semianimes] Exhausted, half-dead.
Explosum] Which he had let off.
Gradum sistere] Stopped.
Ad dirimendam pugnam] To put an end to the battle.

bellumque commune recentiore irâ gerens, in barbaros impetum facit, et dum cæteri ad scaphas se recipiunt, nonnullos cunctantes cædit. Jamque illi velis remisque aufugêre.

Friday Hispanusque unam e scaphis relictis conscendere statuunt ut fugientes persequantur. *Robinson* autem eos a consilio avertit, his dictis: Abundè est, amici! sanguinis humani satis profudimus, plus fortasse quàm fas erat. Cæteri vivant, cùm nobis porrò nocere nec velint, nec valeant.

Fieri autem potest, excipit *Friday*, ut majore numero revertantur. Sit sanè! *Robinson* respondet, ejus humerum leniter percutiens; nonne exercitus quoque noster auctus est? Hispanum ostendens. Nunc licet nobis vel legionem integram istorum aggredi cædereque, seu in aperto, seu intra vallum præliemur.

Jam vir noster, ut erat humanissimus campum pugnæ lacrymans circumivit, si fortè cuiquam barbarorum adhuc spirantium posset succurrere. Plurimi autem expiraverant; cæterique, inter manus ejus vinum vulneribus instillantis, animam efflant. Unus et viginti numero barbari desiderati sunt; nec vulneratus quidem ullus inter victores fuerat.

Sit sanè!] Suppose they do!
Ejus instillantis] Of him pouring.
Animam efflant] Breathe their last.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Friday *patrem suum invenit,—Hispanus narrat suos casus.*

Robinson cupidus scaphæ quam barbari reliquerant inspiciendæ, ad eam accessit, atque non sine magnâ admiratione in illâ invenit hominem alium, manibus pedibusque miserabiliter vinctum, mortuo quàm vivo similiorem.

Robinson statim solutis ejus vinculis, eum erigere nititur. Hic verò neque stare, neque loqui poterat; flebiliter potiùs ingemebat, ratus nimirum se nunc ad mortem trahi. Cùm ille gente barbarus, non autem Europæus esset, *Robinson* socium vocat mortuorum corpora congerentem, ut patrio sermone hominem alloquatur. Vix autem *Friday* captivum conspexit, cum spectaculum ejusmodi insecutum est quod *Robinson* et Hispanus non

Congerentem] Piling together.
Spectaculum ejusmodi] Such a scene.

sine lacrymis intueri potuerunt. Scilicet *Friday* subitò quasi lymphatus, in captivi amplexus provolare, eum osculari, urgere; clamare, ridere, exultare, saltare, flere, manus torquere, faciem et pectus fœdare iterùmque exclamare, amentem denique toto habitu referre. Diù quoque et multùm *Robinson* socium priùs interrogavit quàm ille hoc unum breviter domino respondisset: pater meus!

Jam verò cuncta quibus optimus ille juvenis lætitiam pietatemque exprimere gestiebat, verbis nemo descripserit. Vicies ille e scaphâ in terram, e terrâ in scapham prosilit. *Robinson* vini aliquantulùm quod in lagenâ reliquum habebat, filio tradit, quo patris membra tumentia foveat. Tum paululùm secessit ut *Friday* liberiùs sese totum daret lætitiæ.

Ac aliquantò post reversus, interrogat an cibum aliquem patri præbuerit; tum respondenti se minimè adhuc de hoc cogitasse, *Robinson* jentaculum suum ipsi offert, quod hic patri tradidit. Tum repentè e scaphâ prosiluit, atque ita celeriter pro-

Lymphatus] Out of his senses.

Fœdare] To beat.

Amentem referre] Seemed like a madman.

Jam, &c.] Ordo. Nemo descripserit (*describere posset*) verbis, cuncta quibus ille optimus juvenis gestiebat (*thought fit*) exprimere lætitiam, &c.

Jentaculum] Breakfast.

currit ut jam extra conspectum esset priùs quàm *Robinson* eum posset interrogare. Mox autem reversus est, manu alterâ urceum aquæ plenum, alterâ panem caseumque tenens. Illum patri, hunc domino porrigit ut jentaculum quo ille se defraudaverat compensaret. Senex aquâ gelidâ subitò recreatus est; quippe qui siti excruciatus in eo erat ut prorsùs deficeret.

Jam *Robinson* ad Hispanum in gramine prostratum languentemque se convertit; istum quoque a socio potu ciboque reficiendum curavit. Tum illum ad scapham deducit in quam tormento quoque, sclopetis spoliisque interfectorum oneratam *Friday* saltu se dedit, tamque velociter, vento quamvis adverso, eam remis impulit ut *Robinson* navigantis cursum in littore pedibus incedens vix æquaret.

Brevì ad arcem perventum est, in quam omnes nunc ab omni periculo liberati ingressi sunt. Tum hospites ambo cœnam salubrem parant. Et certè *Robinson* subrisit, cùm cogitasset se personam regis referre. Toti scilicet nunc insulæ imperitabat; omnes ejus subditi vitam illi acceptam referre de-

Defraudaverat] Had deprived.

In quam] In quam, oneratam quoque tormento, sclopetis et spoliis interfectorum, &c.

Navigantis cursum vix æquaret] Scarcely kept up with him rowing.

Referre personam] Bore the appearance.

Vitam illi, &c.] Owed their lives to him.

bebant, ab ejus nutu pendere, atque, si opus esset, vitam ipsam pro domino profundere.

Cùm rediisset *Friday*, sic eum *Robinson* alloquitur: duplici nomine festus nobis hic dies habebitur: tum quòd duos homines ex faucibus barbarorum eripuimus, tum quòd tu ipse, O amice, patrem tuum recepisti. Lautissimis igitur dapibus hodie mensam instruamus.

Inter epulandum narravit Hispanus, quo fato inter manus barbarorum incidisset. Cùm ille sex ferè menses inter eos versatus fuisset, eorum linguam ita didicerat ut cogitata verbis exprimeret, *Friday*que apud dominum munere interpretis fungebatur. Summa eorum quæ nunc ille narravit, hæc est:

" Navis nostra ad mercaturam nigrorum homi-
" num faciendam profecta erat. Ab orâ scilicet
" Africæ venimus, ubi varias merces ex Europâ
" cum granulis aureis, ebore atque hominibus ni-
" gris mutaveramus, odioso quidem et inhumano
" quæstu: hos centum numero navi imposuera-
" mus in Americam transvehendos. Jam viginti
" eorum vitâ excesserant, aliis quippe super alios
" promiscuè congestis. Tempestas sæva et diu-
" turna ab itinere deerrantes ad oram Brasiliæ nos

Ab ejus nutu pendere] To be at his beck.
Cogitata] His thoughts. *Summa*] The substance.
Granulis aureis] Gold dust.
Quæstu] For profit.

" abripuit. Cùm navis fatiscere cœpisset, nec in
" altum reverti gubernator auderet, satiùs duxit
" oram terræ continentis legere. Exortâ subito
" novâ tempestate, ventis reflantibus rejecta est
" navis a continente, et noctu prope insulam
" quandam in scopulos conjecta. Nonnulla ex-
" plosimus tormenta, et sicuti fieri solet, signifi-
" cavimus nos in discrimine versari, et statuimus
" navem, quoad fieri posset, non deserere. Hâc
" mente servorum nigrorum vincula solvimus, ut
" illi nos ad aquam undique per compages laxatas
" abundantem hauriendam adjuvarent. Qui simul
" liberos se sentiunt, factâ conspiratione, scaphas
" occupant ad libertatem simul vitamque servan-
" dam. Tum inopes consilii hæsimus. Illos
" enim vi adhibitâ cogendi potestas nobis non
" erat; quippe nos quindecim numero, illi octo-
" ginta, multi quoque eorum nostris armis potiti.
" Neque tamen minùs anceps periculum erat
" derelictis in nave scopulis hærente, sine scapha-
" rum auxilio. Ad preces igitur confugimus, eos
" orantes qui paulò antè servi erant, ut vel re-

Fatiscere] To let water.

Legere oram] To keep to the shore.

In discrimine versari] Were in distress.

Per compages laxatas] Through the rafters of the ship, which had given way. *Hauriendam*] To pump out.

Derelictis in nave scopulis hærente] To be left in a ship stuck on a rock.

" manerent vel nos secum abducerent. Hic verò " non possum quin humanitati illorum laudes de- " bitas persolvam. Etsi enim illis sævissmè usi " fueramus, tamen misericordiâ commoti hoc no- " bis concesserunt ut in scaphas, sed cuncti iner- " mes, admitteremur.

" Tum in eas desiluimus, tantâ multitudine ut " penè submergerentur. Interim dum ad insulam " proximam tendimus, mutatus subitò ventus nos " quantumvis remis connisos, in altum propulit. " Tum verò præsentissimum fuit vitæ discrimen. " Attamen scaphæ, quamvis maximè oneratæ et " fluctibus crebris jactatæ, undarum vim supera- " bant; ac demùm præter omnem expectationem, " nemine amisso, ad insulam planè ignotam de- " latæ sunt, cujus ab incolis humanissimè excepti " sumus. Vitam apud illos hùc usque degimus, " suo quisque modo, misero illo quidem: barbari " quippe nullum agrum exercentes piscibus tantùm " fructibusque vescuntur. Illi nobiscum libenter " suam cibariorum paucitatem communicaverunt, " nosque docuerunt quâ arte piscarentur ut ipsi " quæ essent ad vivendum necessaria pararemus

Quantumvis remis connisos] Notwithstanding all our efforts at the oar.

Misero illo quidem] Which was indeed a wretched one.

Ipsi] We ourselves.

" Longè melior sanè erat nigrorum hominum con-
" ditio ; quippe qui et huic vitæ assueti, et nunc
" in libertatem vindicati essent.

" Paucis abhinc diebus gens quædam finitima
" insulæ bellum intulit. Tunc omnes arma ca-
" piunt : nos quoque existimamus nostrum esse
" officium, sanctum atque solemne, hospitibus
" tam humanis auxiliari.

" Ego quidem à latere fortissimi illius senis
" pugnavi, qui leonis instar in hostes densissìmos
" irruit. Quem cùm ab hostibus circumventum
" vidissem, dum dimicanti opem ferre propero,
" ipse infelix cum eo captus sum. Duos inde dies
" duasque noctes manibus pedibusque vincti de-
" gimus, siti insuper fameque excruciati. Hodi-
" erno autem die vix exorto ad scaphas protrahi-
" mur, scilicet ut, pro fero suo more, prædam illi
" vorarent. Tum verò divina providentia, vos
" ô viri fortes magnanimique, ad nos servandos
" misit, ut vobis ejusmodi beneficium deberemus,
" quod solvere numquam erit in nostrâ potestate."

Hispanus his dictis conticuit ; effusis autem lacrymis significavit quàm grato esset animo. *Robinson* incredibili cum lætitiâ comperit verissimum esse quod priùs conjecerat, *Friday*que cum eo divinæ providentiæ et sapientiam et benignitatem admiratus est.

Ejusmodi beneficium] A benefit of that kind.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Concio advocata.—Legati missi.—Leges institutæ.—Spelunca.—Monstrum.

Proximo die, *Robinson* omnes sibi subditos convocavit, ut rem quæ diutiùs differri non poterat conjunctis viribus perficerent.

Scilicet verendum erat ne, malignis jacentium in campo pugnæ cadaverum vaporibus, pestis funesta exoriretur. Itaque cuncti, suâ quisque instructus securi, conveniunt, cæsisque lignis, Romanorum morem imitati, corpora defunctorum comburunt. Interim *Friday* patrem suum docuerat quantùm gentes benè moratæ ab humanâ carne abhorrerent. Quodquidem mirum seni primò visum est. Filius autem expositis omnibus quæ ipse a domino acceperat, brevi patrem eò adduxit ut morem istum inhumanum aversaretur. Senem illum *Dominicum Robinson* propterea appellavit, quòd *die dominicâ* eum servaverat,

Jam ille universos in concionem vocat, in quâ *Fri-*

Malignis, &c.] Ordo. Ne ex malignis vaporibus cadaverum quæ jaciebant in campo pugnæ, &c.

Pestis funesta] An infection.

Quantùm abhorrerent ab] How much they abhorred.

Dominicum] Sunday.

day iterum interpretis munere, cum erga Hispanum, tum apud senem *Dominicum* functus est. *Robinson* verò, ut apud ipsum summa imperii erat, his verbis incipit: " O amici, quos Dei providentia socios " mihi adjunxit, omnia nunc possidemus quæ ad " benè beatèque vivendum requiruntur. Absit " verò ut ego his bonis tranquillo animo et quieto " fruar, quandiù intellexero esse alios homines " qui, cùm a naturâ jus æquum illis fruendi ac- " ceperint, inopiâ tamen et miseriâ opprimantur. " Hic loquor de popularibus tuis, ô amice, quem " mihi communis ab Europâ origo propiùs jungit, " de Hispanis scilicet qui barborum sunt adhuc " in potestate. Itaque hoc a vobis peto ut suam " quisque sententiam dicat declaretque quâ potis- " simùm ratione eos in societatem hujus nostræ " conditionis adsciscamus."

Hæc fatus, unumquemque sententiam proferre jubet. Hispanus se vel unum eos, in scaphâ de hostibus captâ, adducturum pollicetur. *Dominicus* profitetur se idem facere paratum. *Friday* autem censet satiùs esse patrem suum senem manere, optatque ut sibi liceat Hispano sese addere. Tum

---

Quem mihi, &c.] Quem communis origo ab Europâ propiùs mihi jungit.

In societatem adsciscamus] We may make partners.

Fatus] Having spoken.

Se vel unum] That even he alone.

nobile patrem inter et filium fuit certamen, utri potissimùm contingeret vitæ periculum adire. Itaque *Robinson* coactus est, ad rem dirimendam, sententiam ipse suam dicere, cui omnes læti obtemperaverunt. Hæc erat, ut Hispanus cum *Dominico* proficisceretur, *Friday* autem apud se remaneret. Addidit verò, priusquàm ambo illi in viam se conferrent, necesse esse ut, arato agri decies majore spacio, semina sererentur; aucto enim colonorum numero, victum quoque necessarium augendum esse. Igitur per aliquot hebdomades continuas, agricola quisque factus est, operariorumque diligentiâ, feliciter omnia et citò confecta sunt; cunctisque intra quindecim dies absolutis, constitutum iter paratur. Sed prius quàm proficisceretur, Hispanus probi gratique in *Robinsonem* animi documentum edidit, quod et prudentiam ejus declaravit. Scilicit confessus est populares suos, ipsius instar, esse remiges de plebe rude genus et incultum; neque sibi eorum mentem adeò perspectam esse, ut sponsor fiat de ipsorum fide ac voluntate: itaque se optimum censere, a *Robinsone* utpotè domino

Utri potissimùm contingeret] To which it should the rather be allotted.

Agri decies majore spatio] A ten-times greater quantity of ground.

Remiges de plebe] Common sailors.

Neque adeò sibi perspectam esse eorum mentem] Nor did he so thoroughly know their mind.

leges certas constitui, neminemque in insulam adducendum esse, nisi priùs legibus illis sese obstrinxerit. *Robinson* lætus hospitis fide, ejus consilio obsecutus est. His autem verbis leges scriptæ erant.

" Quicumque in insulâ vivere, atque in partem
" commoditatum quas illa præbet, admitti cupit,
" eum oportet :

" 1° Voluntati domini illius insulæ legitimi in
" omnibus obedire, cunctisque institutis, quæ ille
" ad salutem communem civium promovendam
" præceperit, obtemperare.

" 2° Vitam agere in labore, temperantiâ et
" honestate : nemo enim in hâc insulâ tolerabitur
" qui ignaviæ, qui luxuriæ aut ulli turpitudinis
" generi se dederit.

" 3° Abstinere ab omni rixâ ; siquis autem in-
" juriam acceperit, ne sit in propriâ causâ judex,
" sed querelam ad insulæ dominum deferat, aut ad
" eum qui judex ab illo constitutus fuerit.

" 4° Omnes labores ad communem utilitatem
" necessarios libenter suscipere, ac si res postula-
" bit, domino, vel cum vitæ discrimine, opem ferre.

Obstrinxerit sese] Would bind himself.

Concilio obsecutus est] *Obsequor* governs a dative ; obsequi parentibus—to obey one's parents—obsequi studiis—to pursue one's studies. *In partem*] To a share.

Quæ ille, &c.] Ordo quæ ille præceperit ad promovendam communem salutem civium.

Vitam agere] To pass one's life.

" 5° Si quis ullam ex his legibus æquissimis
" violare ausus fuerit, cæterorum officium est ad-
" versùs eum coalescere ut pareat, aut ex insulâ
" in perpetuum ejiciatur.

" Neminem verò non hortamur ut has condi-
" tiones serio perpendat, nomenque jurisjurandi
" loco non subscribat, nisi priùs statuerit illis
" quàm religiosissimè obtemperare.

" *Robinson.*"

Has leges scriptas Hispanus in vernaculum sermonem vertit. Quo facto, ille et calamis et atramento instruitur, ut populares ejus anteà nomen legibus propositis subscribant, quàm proficiscantur. Tum viaticis scaphæ impositis, magnâ cum pietate valedicunt *Robinsoni* socioque et vela faciunt.

His peractis, *Robinson*, comite *Friday*, domum venandó redit. Sed non longè processerat, cùm canis stetit latrans ad imam rupem arbustis consitam. Accedunt ambo propiùs hiatumque in rupe deprehendunt adeò arctum ut irrepere, non verò ingredi possent. *Robinson* socium tentare jussit num per hiatum istum posset se immittere.

Qui caput cum vix admovisset, horrendo clamore retraxit, nihilque *Robinsonis* admonitionem

---

Neminem non] *i. e.* Omnes.

Anteà quàm proficiscantur] Before they set off for the island.

Vela faciunt] Set sail.

Consitam] Which was planted.

Retraxit] Drew it out again.

curans, amentis instar aufugit. Tandem *Robinson* eum assecutus causam fugæ rogat: Heu! heu! respondit *Friday*, fugiamus! monstrum horrendum vidi, ingens, ardentibus oculis, faucibus tantis et nos ambo simul absorbere possit.

Ehem! *Robinson* excipit, fauces satis amplas dicis; attamen ipse rem explorabo. O domine, exclamat *Friday*, ad pedes ejus provolutus, per-Deum te obsecro; absit ut hoc facias; te monstrum iliud deglutiet; tum miser *Friday* domino orbatus erit. *Robinson* subridens interrogat, an ipse ab illo devoratus fuerit. Cùm *Friday* obmutesceret, illum *Robinson* domum jussit festinare, ut lampadem accensam quæreret. Ipse interim ad speluncam reversus sclopeto armatus, ad ostium se collocat.

Interim *Friday* cum lampade redit, dominumque iteratis precibus orat, ne morti certæ ultrò se objiciat: *Robinson* autem qui re deliberatâ timoris expers erat, hortatur socium ut animo confidat. Tum lampadem sinistrâ, sclopetum dextrâ tenens, monstro fortiter obvius fertur. Capite vix immisso, ad dubiam lampadis lucem ipse quoque aliquid conspicatus est quod sibi horrorem incussit; neque adeò tamen aufugere voluit; sed admotâ propiùs lampade, perspexit nihil planè illud esse

---

Deglutiet] Will swallow you up.

An ipsi ab illo devoratus fuerit] Whether he (*Friday*) had been devoured. *Obvius fertur*] Goes to meet.

nisi lamam ætate fractum et senio mox interiturum. Scilicet cùm iis animalibus quæ sic degunt uti natura se habet, vires non jam suppetunt ut anquirant et parent quæ sunt sibi ad victum necessaria, tum sese in latibula recipiunt ubi languore aut inediâ consumuntur.

Cùm igitur *Robinson* circumspiciendo nihil deprehendisset præter animal illud minimè timendum, penitùs in speluncam irrepsit, vocato ad se *Friday*. Hic etsi vehementer trepidabat, non potuit quin dominum ducem sequeretur, atque non sine admiratione vidit quantòpere magnitudinem monstri timor exaggeravisset.

Cùm jam lama in eo esset ut ageret animam, *Robinson* illum ex antro propellit quem, cum expiraverit, terrâ obruat. Quo facto curiosiùs locum explorantes, inveniunt antrum satìs amplum et jucundum. Ex quo magnam in posterum utilitatem se capturos sperabant; scilicet illud quasi de industriâ excavatum erat. Hoc statim *Robinson* elegit ubi, fervidissimo solis æstu, frigus captaret. Itaque missus est *Friday* ut instrumenta afferret; quorum ope cœperunt ostium antri amplificare; atque in hoc opere, dum abessent duo legati, tempus non sine jucunditate consumpserunt.

Senio] Of old age. *Parent*] Lay up.
Ut ageret animam] That he was dying.
De industriâ] On purpose, by human art.
Frigus captaret] Might find a cool retreat.
Duo legati] Scil. Hispanus et Dominicus.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Navis anglica appulsa ad insulam.—Quo casu.—Magna Robinsonis *in præfectum merita.—Spes liberationis.*

Octo jam elapsis diebus nondum legati redierant. *Friday* sæpissimè nunc ad montem procurrebat, nec tamen, quamvis intentis intueretur oculis, quidquam conspiciebat. Tandem die quâdam, cùm *Robinson* domi occupatus esset, ecce subito redit ille exultans, ac procul : adveniunt ! adveniunt ! Hoc nuntio lætus *Robinson*, telescopio arrepto, ad collem properat. Inde e longinquo prospicit scapham ad insulam tendentem. Sed quassans caput incertum, ait ille socio, an hoc verè sit quod expectamus. *Friday* expalluit ; *Robinson* iterum speculatur, nunc jam res est dubia. Scilicet Europæana erat navicula albique homines in eâ armati. Extemplò socii alium collem conscendunt, certiora visuri. Quantus verò fuit stupor cer-

Iterum speculatur] Takes another view.
Certiora visuri] To take a more certain view.

nentium navem ingentem Anglicam, in anchoris stantem.

Tum *Robinsonis* animus admiratione, metu, lætitiâ invicem afficitur. Hinc enim gaudet spe liberationis, inde vero stupet metuitque, quòd non liquet quo consilio navis ista huc appulisset. Itaque veritus ne piratæ essent, in colle arboribus virgultisque consito se sociumque collocat in speculis. Inde cernunt scapham undecim hominibus oneratam ad littus appellere, ex quibus octo armati, tres reliqui inermes vinctique. Hi quidem vix in littore expositi vinculis soluti sunt. Unus ex illis misericordiam armatorum implorabat. Reliqui duo manibus sublatis a Deo auxilium et salutem petere videbantur. Quibus conspectis, *Robinson* perturbatus et anceps consilii stetit. At brevì non sine horrore videt nonnullos nautarum strictis gladiis necem captivo intentantes, ac deindè tribus captivis relictis proximum petentes nemus. Illi intereà sedebant mœsto dejectoque vultu, ad cogitationes quid deinde futurum esset dolore converso.

Hinc] On the one hand. *Inde*] On the other.

In speculis] On the watch.

Tres reliqui] The three others.

Tribus captivus relictis] Leaving their three prisoners behind.

Ad cogitationes dolore converso] Their grief being now turned to thinking about.

Tum *Robinson* cujus in mentem alienis malis propria revocabantur, miseris istis hominibus vel ipsius vitæ periculo opem ferre statuit. Igitur *Friday* jubetur sclopeta, gladios apparatumque tormentarium quàm celerimè afferre; ipse remanere satius duxit, speculaturus quæ sequerentur. Cunctis igitur ad pugnandum paratis, magnâ cum voluptate nostri animadvertunt nautas vagantes in umbrâ passìm recubare ut somno, dici fervidissimo tempore, indulgerent. Tum *Robinson*, cùm paulùm expectasset, confidenti animo ad miseros illos accedit. Qui cùm facie a *Robinsone* aversâ sederent, attoniti stupuerunt, auditâ voce subitò clamantis: Quinam viri estis? At illi exilire, fugamque parare. *Robinson* verò Anglico sermone hortatur, ne timeant; se servatorem adesse et de patriâ, de malis et quid opis ipse ferre posset interrogat. "Germani sumus, respondet unus qui Anglicam linguam apprimè intelligebat; nautæ mei, conjuratione factâ, navi meâ potiti sunt. Primo statuerant me cum viris istis bonis interficere; tandem vitam deprecantibus concesserunt. Vita autem in hâc insulâ desertâ, inopiâ et miseriâ

Propria] Scil. *Mala.*

Satius duxit] Thought it better.

Se servatorem, &c.] That he came to preserve their lives.

Quid opis] Genit. What assistance.

Deprecantibus] To us supplicating for.

perituris est ipsâ morte acerbior. " Ego vos, inquit *Robinson*, ex omni difficultate expediam, vel ipsius capitis mei periculo, sed duplici lege, scilicet ut mihi tu, quandiu in insulâ, cum tuis pareas; deinde ut, si navem tuam tibi restituere mihi contigerit, me meosque in Angliam revehas. Quæ cùm præfectus affirmando promisisset, tum *Robinson* sclopeto quemque gladioque armavit, eâ tamen conditione ut iis nemo ante uteretur quàm ipse jussisset. Scelestos homines, addit ille, somno nunc sopitos, et passim jacentes occupemus; sed incruenta sit victoria.

Tum illi toti ab luctu versi in iram, ducem secuti sunt, *Friday* laqueos quibus illi ligati fuerant secum ferente. Jam ad proximum accedunt, in faciem prostratum et somno tam alto oppressum ut, manibus pedibusque vinctis, os ei priùs obstruxerint quàm penitùs experrectus esset. Manibus a tergo revinctis, in eodem statu immotus manere jubetur; qui, si vel minimam vocem ediderit jugulabitur. Quo facto, ad secundum properant, quem ligatum pariter supinum collocant, eadem, nisi sileat, intentantes. Et jam, favente supremo illo scelerum vindice, sex in vinculis erant,

---

Ut mihi tu.] Ut tu pareas mihi.
Cum tuis] Together with your men.
Occupemus] We can secure.
Ad proximum] To the nearest of the sailors.
Supinum] On his back.

cùm postremi duo subitò experrecti surgentesque arma corripiunt. O vos scelesti, exclamat *Robinson*, cernite socios, arma abjicite, pereat qui cunctabitur. Hæc cùm intonuisset, illi gladiis abjectis in genua se prosternere, supplicesque delicti veniam a præfecto petere. Atque his etiam manus nodis implicantur. Tum *Robinson* jubet universos in speluncam contrudi, ostioque validis arborum ramis obstructo, mandat custodi ut interficiatur si quis claustrum tentat perrumpere. Deinde socii facto agmine ad scapham se conferunt quam vectibus admotis in siccum protrahunt, carinâ deinde perforatâ. Sub horam post meridiem tertiam, tormentum e navi exploditur, ad revocandos ex insulâ nautas. Quo signo ter repetito cùm nemo redisset, alia scapha e navi profecta est ad insulam. Tunc *Robinson* cum sociis in collem se recipit. Scaphâ appulsâ, nautæ ad priorem currunt quam vident in sicco et perforatam. Jam circumspicere sociosque nomine vocare. Nemo autem fuit qui responderet. Illi decem numero erant, armati omnes. *Robinson* qui ex præfecto acceperat inter captivos tres esse qui non nisi metu coacti venerant in sceleris societatem, *Friday* gubernatoremque ad eos

---

Delicti venium] Pardon for their crime.

Atque his etiam] And *their* hands were likewise bound.

Vectibus admotis] By the help of levers.

Carinâ perforatâ] Having made a hole in the bottom.

mittit; cùmque illi veniam orassent impetrassent que, tum armis redditis eos quæ ipse præceperit sedulò exequi jubet.

Interim qui posteriori scaphâ advecti fuerant sustulêre clamorem. Redditur et major à *Robinsonis* commilitonibus; hoc enim ille jusserat ut advenæ in nemora allicerentur. Illi scilicet voce respondentium vix auditâ, sparsi hinc inde per sylvas vagantur. Sed nemine reperto, cùm jam advesperasceret, noctem veriti, ad scapham redeunt, cursu et vano errore fessi. Atque ut quisque occurrit excipitur ab insidiantibus quorum in manus sex ita inciderunt. Cùm quatuor alii reverterentur, mittitur ad hos unus nautarum in gratiam receptorum interrogaturus, an sponte armis abjectis se submittere velint; nî faciant, insulæ procuratorem, triginta abhinc passibus, quinquaginta milites ex arce eduxisse qui ipsos cæderent. Tum *Robinson* armorum strepitum unà omnes edere jussit ad verba legati confirmanda. Priùsque illi terrore

Allicerentur] Might be enticed.

Errore] Pursuit, search.

In gratiam receptorum] Of those who had been restored to favour.

Submittere velint.] Submitterent.

Procurator] The governor.

Eduxisse] Had taken out.

Priusque, &c.] Ordo. Illi vincuntur terrore priùs quàm *(rather than)* bello.

quàm bello vincuntur. "An verò delicti veniam impetraturi sumus? quidam ex iis tandem rogat. Cui præfectus in virgultis latens sic acclamavit: vocem meam agnoscis, *Thoma Smith!* Si illicò arma e manibus ceciderint, vitam habebitis, *Atkins* excepto. Scilicet ille seditionis concitor fuerat. Tum universi statim arma abjicere. *Atkins* autem exclamans, præfectum obtestatur ut sibi parcat ignoscatque, commune esse omnium scelus. Præfectus respondet, se quod unum posset, procuratoris cum clementiæ commendaturum; quod illi placuerit expectet.

Quo facto, *Friday* cum nautis ad illos vinciendos mittitur. Jam *Robinson* qui procuratoris personam agebat, accessit cum præfecto. Hic autem de captivis eos elegit quibus eam naturæ bonitatem noverat ut ipsos sceleris commissi verè pœniteret; hi ad arcem, cæteri ad speluncam ducuntur. Ex iis qui in antrum anteà conjecti erant duos etiam adduci jussit, de quibus benè quoque sperabat. Quomodo autem cum illis egerit et quæ posteà acciderint, restat ut narretur.

Impetrare] To obtain.
In virgultis latens] Hiding behind a bush.
Obtestor] To beseech.
Quod unum] Which was the only thing.

CAPUT TRIGESIMUM.

Fundata colonia.—Robinson *relinquit insulam.*—*Quod accidit in patriam redeunti.*—*Quomodo vitam deinde honestam et beatam degit.*

QUIBUS culpa remissa fuerat, hi ante arcem collecti decem numero erant. *Robinson* procuratoris nomine, qualem eum esse ducebant, declarat, eâ lege ipsos seditionis veniam impetraturos ut præfectum legitimum in recuperandâ nave adjuvent. Quæ sententia etiam captivis denuntiatur. Tum utrisque captivis simul et liberis unà conversandi copia data est, ut sese mutuò in fide servandâ confirmarent, cùm hæc sola sontibus pateret salutis via. Interim fabro lignario mandatur ut alterius scaphæ perforatæ carinam reficiat. Tum altera præfecto, altera gubernatori traditur, nautis inter

Remissa] Pardoned.

Unà conversandi] Of consulting together.

Cùm hæc] Cùm hæc sola via salutis pateret (*was open*) sontibus (*to the guilty.*)

utrumque divisis, cunctique apparatu bellico instructi vela faciunt.

Robinson cujus fortuna ex eventu hujus incœpti pendebat, tantâ animi perturbatione sollicitudineque agitabatur, ut stare loco nesciret; nunc in speluncâ sedere, nunc in collem ascendere, et quia noctu oculorum cessabat usus, auribus captare si fortè aliquid e nave audiret. Augebatur sollicitudo expectatione signi de quo inter eos convenerat. Triplex scilicet explosio nondum audita erat, etsi mediâ nocte ingruente.

Et jam spes omnis abierat, cùm subitò fit sonitus e longinquo. *Robinson* quasi e somno repentè excitatus, aures erigit. Sequitur altera explosio et deinde tertia. Nunc constat navem esse expugnatam, nunc certò in Europam profecturus est. Tum amens lætitiâ devolare, socium in gramine recubantem excitare, amplecti, deinde ad arcem currere, sarcinasque raptìm colligere. Die nondum exorto, ad collem rursus properat, eòque ubi navis in anchoris stabat oculos intendit, lucem diei plenam expectans: ac brevi conspicit præfectum navis, collem nonnullis ipsum comitantibus conscendentem. *Robinson* uno impetu ejus in am-

---

Noctu, &c.] His eyes were of no use, on account of the night.

Eòque] And to that spot.

plexus provolat. Tum præfectus narrat se nave feliciter admodum potitum esse, nemine occiso, nec vulnerato quidem ; scilicet obscurâ nocte ita evenisse, ut nec agnosceretur ipse, nec comites a nave prohiberentur. Turbulentissimos seditionis auctores sibi quidem obstitisse, captos verò in vincula fuisse conjectos. His dictis, cibos quosdam delicatiores e nave afferri jubet, lætique omnes lautissimo convivio recreati sunt.

Deinde præfectus *Robinsonem* rogavit quidnam nunc sibi faciendum mandaret, quo ipsi gratiam persolveret. Huic *Robinson :* præter hesterna promissa, hæc tria te rogabo. Primùm quidem ut hîc commoreris, donec pater socii mei redierit ; tum ut me meosque in nave excipias ; denique ut seditionis auctoribus veniam condones. Hæc sola delicti pœna sit in hâc insulâ deseri.

Præfectus hæc pacta conventaque quàm religiosissimè servaturum se pollicitus, captivos adduci jubet, pessimisque eorum designatis pœnam irrogatam denunciat ; neque illi sine lætitiâ hoc au-

Sibi obstitisse] Had made resistance.

Quo ipsi gratiam persolveret] By which he might shew his gratitude.

In hâc insulâ deseri] That they be left behind in the island.

dierunt, conscii quippe capitalis admissi facinoris. *Robinson* eos benignè docuit quomodo victum quærerent, illisque res suas omnes relicturum se promisit.

Dum noster hæc loquitur, *Friday* magno cursu anhelans nuntiat patrem cum Hispanis advenisse. Cuncti igitur illis obviam properant. *Friday* cæteros prævertens in amplexus patris præcurrerat. *Robinson* non sine admiratione duas mulieres inter advenas conspexit; *Dominicus*que interrogatus docet uxores esse duorum Hispanorum, quas illi in ipsâ regione susceperant. Hi verò ubi audierunt *Robinsonem* mox profecturum, nonnullosque remiges in insulâ relicturum esse, rogaverunt ut sibi quoque liceret in eâ remanere; se enim omnibus auditis quæ alii memoraverant jucundiorem illâ sibi sedem non optare. Quibus precibus *Robinson* annuit libentissimè; gaudebat inprimis duos hîc spectatâ probitate viros relinquere. Sperabat enim fore ut eorum operâ et exemplo cæteri ad meliorem frugem reducerentur. Hâc mente alios omnes eorum auctoritati subjicere constituit.

Itaque universos arcessi jubet; sex Angli erant

Admissi] Of having committed.

Docet] Informs him.

Se, &c.] Se non optare jucundiorem sedem illâ *insula*.

Ad meliorem frugem] To better conduct.

et duo Hispani cum uxoribus. Quibus convocatis suam *Robinson* declaravit voluntatem, his verbis : " Neminem fore spero, qui mihi jus deneget de " rebus meis, id est, hâc insulâ cum omnibus quæ " in eâ sunt, arbitrio meo statuendi. Opto autem " ut omnium cujusque vestrûm qui hîc remansuri " estis conditio sit beatissima ; atque ad id asse- " quendum, certas leges non habentibus meum " est instituere, vestrum autem sequi.

" Hæc igitur accipite.

" Hos ambo Hispanos ego meos in insulâ vi- " carios constituo. Hi præcipient, vos parebitis. " His committo apparatum omnem bellicum, va- " riaque instrumenta, eâ tamen lege ut illi vobis " necessaria præbeant ; vos autem cum iis ho- " nestè in pace vivatis.

" Ac principio Deum colite ; nulla enim civitas " firma, nisi fundamentum sit pietas.

" Proxima pietati sit justitia. Jus suum cui- " que trîbuatur, ac ne cui quis noceat.

" De cæteris ambo Hispani viderint. Illi fines " agris assignabunt, juraque, prout res postulabit, " privata publicaque statuent.

Jus] Jus statuendi meo arbitrio de rebus meis, &c.

Certas leges non habentibus] To you having no fixed laws.

Vicarios] Deputies.

Fines] Boundaries.

" Forsan et olim dabitur de vobis audire, aut " me aliquandò juvabit extremum in hâc insulâ " mihi carissimâ vitæ tempus agere. Væ illi " qui interea instituta mea transgressus fuerit. " Ego hominem in cymbâ impositum fluctibus " sævissimâ tempestate agitatis tradam haurien- " dum." His auditis, assensêre omnes obedientiamque polliciti sunt.

Tum noster ea notavit quæ secum aveheret: scilicet 1. Vestem e pellibus a se ipso confectam, cum umbellâ; 2. Hastam propriâ quoque arte perfectam, arcum securimque siliceam; 3. Psittacum, canem villosum, lamasque duos; 4. Varia instrumenta quæ, cùm esset solitarius, fabricaverat. His cunctis in navem transportatis, secundoque spirante vento, proximo die proficisci constituunt. Jamque tempus adest. Tum *Robinson* lacrymans eos qui remansuri erant ad concordiam, pietatemque sequendam denuò hortatus, ultimum vale acclamat, et comitibus *Friday Dominico*que navem conscendit.

Felicissimus ad Hamburgum cursus fuit. Cùm navem *Robinson* opportunè hîc invenisset Londinum tendentem, ab Germanicæ navis præfecto discessit, atque alteram conscendere properavit: hæc brevi

---

Hauriendum] To be swallowed up.

solvit anchoras. Dulcissima jam *Robinsonis* patrîa e longinquo cernitur. Jam in ostium Thamesis advenêre, cum subitò sæva tempestas exoritur navemque vi magnâ in oram conjicit. Tum quidquid valet diligentia, quidquid peritia, adhibetur; sed frustrà; venti vehementia omni conatu major navem abreptam in arenas agit tantâ vi ut carina disrumperetur. Irruit extemplò in eam ingens aquæ vis, adeò ut de eâ conservandâ omnes desperarent; navigantibus vix datur copia in scaphas desiliendi ut morti, si fieri possit, se eripiant.

Sic igitur *Robinson* cùm denuò naufragium fecisset, miser in portum proximum advenit, neque quidquam servavit præter canem qui vectum in scaphâ dominum natando secutus est, et psittacum in humero ejus sedentem. Multis post diebus, accepit inter varias res servatas umbellam, vestemque pelliceam fuisse repertas.

Portus ad quem scapha appulerat, octo millia passuum ab Londino aberat. Audiit patrem suum senem bonâ valetudine gaudere, matrem verò optimam vixisse. Quodquidem gravissimo eum dolore affecit. Jam vehiculo Eboracum profectus, viginti quatuor horarum spatio eò advenit. Cùm sequente cane et psittaco humero insidente in terram de-

Carina disrumperetur] Was staved. *Accepit*] He heard.

Vixisse] pro *mortuam esse.*

scendisset, per circumfusam spectantium turbam in hospitium proximum se contulit. Inde nuncio ad patrem misso, curavit ut bonus senex ad filium revisendum cautè præpararetur ; quòd pater tantæ non capax lætitiæ occubuisset.

Jam filius ipse per plateas satis sibi cognitas ad patrios penates provolat, domumque assecutus in patris gaudio trepidantis amplexus ruit. O pater! o fili! hæc tantùm ambo eloqui potuerunt. Muti, trepidi, spirituque intercluso, alter alterius e collo pendent, donec vis benigna lacrymarum animum utriusque oppressum levavit.

Intereà *Friday* miratur frequentem tectis urbem stupetque inhians innumera rerum miracula quæ nunc undique oculis obversantur. Quorum aspectu satiari non potuit. Ac primo die nullam rem ab aliâ distinguebat, tantâ animi perturbatione ut esset quasi hebes oculis et animo.

Pater *Robinsonis* institor erat. Propterea optavit ut filius in mercaturâ exerceretur, seque præstaret eum qui sibi defuncto succederet. *Robinson*

Per circumfusam spectantium turbam] Through a crowd of by-standers

Frequentem tectis] Crowded with houses.

Hebes] Dull, stupid.

Institor] A factor.

Seque præstaret eum] Should qualify himself.

verò labori consuetudine induratus patrem rogavit, ut sibi liceret scriniariorum artem discere. Itaque cum socio scriniarii cujusdam disciplinæ se tradidit, atque intra unius anni curriculum, uterque in eâ arte tantùm profecerat ut ipsi magistrorum dignitatem assequerentur. Quo facto, officinâ communi institutâ, amicitiam inter se, summo studiorum voluntatumque consensu, ad extremum vitæ diem coluerunt. Et sic perpetuâ tranquillitate, sanitate, industriâque fortunati ambo vixêre ad summam senectutem, posterique libenter retinebunt duorum memoriam hominum, qui cæteris documento erunt quomodo suæ quisque felicitatis artifex esse possit.

Scriniariorum artem] Cabinet making.

Posteri] Future generations.

Quomodo, &c.] Quomodo quisque possit esse artifex suæ felicitatis.

Printed by R. Gilbert, St. John's Square, London.

JUL 1 4 1982

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PR
3403
L3G6
1823

Defoe, Daniel
Robinson Crusoëus
Ed. nova, cui accedunt
annotationes

23

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 11 02 10 015 2